

cepisse afferit. Floruit circa Olymp. 69. tempore ultimi Darii, cuius extat epistola ad eum honorificentissima apud Laërt. in Vita.

Animo elatus, & aliorum contemtor erat, quos omnes, ut notat Proclus, ignorantiae damnabat, dum se omnia nosse dicebat. Dicere hinc saepe solebat: *Homerum, & Archilochum dignos esse, qui ex scholis ejectedi, colaphis cæderentur.* Rogatus a suis civibus, ut leges eis scriberet, id respuit, quia civitatem pessimis moribus refertam videbat. Hujus autem in cives suos odii caussa præter dictam extitit, quod ipsi Hermidorum familiarem suum exilio mulctassent. Hinc in illos severe animadvertisens scripsit: *Merentur Ephesi omnes adulti mori, impuberibusque civitatem relinquere.* Quare in fanum Dianæ secedens, ibi astragalis cum pueris ludebat; adstantibusque Ephesiis dixit: *Quid miramini, o perditi? nonne istud facere præstat, quam vobiscum Remp. administrare?* Athenienses quoque sic contempsit, licet ipsum venerarentur. Quoties in publicum prodibat, flebat, eo quod omnia, quæ homines agunt, miserias existimaret.

Hinc ex hominum odio in montes secedens, ibi oleribus, & herbis contentus vivebat: qua de caussa in aquæ intercutis morbum incidit; à quo ut sanguinetur, in urbem rediit. Venientes ad se Medicos neque Artis, neque Naturæ peritos, ut ipse ad Amphidamantem scribens vocat, sic male carpit ibidem: *Impii illi, Amphidamas, qui artes, quas non habent, mentiuntur, & curant illos, quas non norunt, & homines sub nomine artis interimunt, & naturam, & artem injuria afficienes.* Turpe profecto est ignorantiam profiteri, turpius autem scientiam, quam quis non habet. Quo ergo nomine mendacio delectantur, nisi ut per fraudem divitias acquirant. Meliores profecto forent, si illas emendarent; nam ita misericordiam moverent quibusdam. Et paullo post: *Hujusmodi in civitate plures ad me veniebant.* Nemo illorum Medicus, sed omnes impostores, & deceptores, qui sibi artis argento vendunt &c. Quare ad hydropicos humores, bubuli fimi vapore exhauriendos, bovum stabulo se inclut: quo nibil proficiens mortuus est anno æt. 60. Neanthes Cyzicenus addit, ipsum bubulo fimo imbutum à canibus laceratum fuisse. Aristo tamen, & Hippobodus afferunt, ipsum hoc morbo liberatum, alio morbo interiisse.

Inter Apophthegmata, & sententias ad morum doctrinam pertinentes, hæ notatu digniores: *Contumeliam extinguere oportere magis, quam incendium.* Homo solitarius aut Deus, aut bellua. Ubi terra est sicca, anima sapientissima est, & optima. *Nisi speret, insperatum non inveniet, cum sit inscrutabile, & nullus ad id pateat aditus.* Quam sententiam Clem. Alex. 2. Strom. vult esse paraphrasim illius Esaiæ 6. *Nisi credideritis non intelligetis.* Sed ad alias: *Homines Dii, Dii homines.* Imperitiam celare melius, quam in medium proferre. Sapere ut possint, omnibus ad manum est. Foventur omnes humanæ leges ab una divina, quæ quidem tantum potest, quantum velit, omnibusque sufficit, & superat omnia. *Via ad gloriam maxime compendiaria est, si quis studeat, ut bonus sit.* Vid. Clem. Stob. aliisque. Tandem notandum, Heraclitum generationi hominum iniquiorem fuisse, ac maledictis ipsam insecurum, quod homines in mundum miseriis refertum veniant.

Sed ad ejus doctrinam considerandam accedamus, ac paucis exponamus. Ignem rerum omnium principium statuit, ex quo scilicet omnia oriuntur, & in quem omnia resolvantur: ex cuius vicissitudinibus Rarefactione, & Condensatione cuncta fiant. Fieri autem omnia Fato, & Conversione contraria, sive per Contrarietatem. Cui consentire videtur Aristoteles, dum ait, omnia fieri ex Privatione sui, sive ex contrariis. Fatum autem, ut est apud Stob. Phys. 1. 2. describit, quod sit Ratio, quæ per contrariorum concursum rerum opifex esset.

stat. Quam de Igne opinionem , quod rerum omnium Principium sit , ab Hippaso præceptore accepisse testatur Plut. Plac. Phil. 1. 2. Sed ipsum ἡγεμονία , corpuscula scilicet minima , & fragmenta pro Ignis principio intelligisse, notant Plut. & Stob. l.c. Vide doctissimum Gottfridum Olearium , qui Heracliti sententiam fusius exponit , & propugnat in suis Dissertationibus in Lipsiensi Academia habitis ; in quarum prima de Principio rerum naturalium ; in secunda de rerum Genesi ex mente Heracliti , agit .

Solem ejus esse magnitudinis , dixit , quæ nobis appareat , ipsum vero , & reliqua sidera Scaphas esse , concava parte nobis obversas , in quibus congregatae liquidæ evaporationes reddunt flamas , quæ exhalationibus à terra submissis nutrinntur : hæc tamen flamma , sicut & lux , major in Sole est , quia nobis propior . Eclipsis fit , cùm sideris pars convexa nobis obversa est , concava sursum elevata . Noctem , Diem , Annum , Menses , anni Tempestates , Pluvias , Ventos , & his similia , pro varia exhalationum ratione fieri , statuit ; tempusque corporeæ naturæ esse . Fluxum , & Refluxum maris à ventis , solis vi elevatis , derivandum putavit , quibus spirantibus , maris unda attollitur , eisdem vero quiescentibus , iterum subsidit . Tonitrua à ventis in nubes incidentibus ; Fulgura ab exhalationibus accensis ; Presteres denique ex nubibus accensis , atque iterum extinctis , generari duxit .

Animæ naturam investigari non posse , afferit , quia cunctis abscondita : ipsam vero incorpoream esse , & semper fluere , & moveri : omnemque animam ex hoc mundo migrantem in animam universi abire , ejusdem naturæ cum sit . Plutarchus in Romulo talem habet Heracliti de Animi immortalitate sententiam : Aridus enim hic animus est , ut vult Heraclitus , præstantissimus , qui ex corpore , ut è nube fulgur , exilit . Commixtus verò corpori , & implicitus velut vapor gravis , nebulosusque ægre acceditur , & supera petit . Non sunt ergo bonorum corpora contra legem naturæ una cum animo in cælo collocanda : sed virtutes , atque animi , natura , atque judicio divino ex hominibus inter heroas , ex heroibus inter lares , ex laribus si semel sicut in initiationibus lustrati sint , & purgati , omni deposita conditione mortali , & dolore , non publica lege , sed re ipsa , & consente nra ratione in numerum referendi sunt deorum , optimum , & beatissimum finem adepti . Animarum item , & Dæmonum omnia plena esse , cum Thalete (cui cæteroqui contrarius semper extitit) affirmavit .

Ipsum male de Deo philosophatum asserunt Aristoteles , Varro , Augustinus , & Philo Judæus , eo quod Deos ex igne esse statuerit , & universum hoc conditum esse negaverit . Contrarium defendit Olearius l.c. Hinc Sext. Emp. adv. Mathem. p. 139. ipsum inter eos recenset , qui Physicam tantum pertractarunt . Liber tamen ejus , qui Laërtii etiam ætate legebatur , etiamsi generaliter de Natura ageret , in tres scindebatur partes , in quibus de Universo , de Republica , & de Theologia disserebat . Qui liber obscurius de industria scriptus , ne legeretur ab omnibus , ut visum quibusdam , & in Templo Diana depositus , ab Euripide tandem inventus , & Socrati traditus est ; qui interrogatus quid de eo sibi videretur ? respondit : Magnam indolem spirant , quæ intellexi : puto idem facere , quæ non intellexi . Verum Delio natatore opus habent . Et Laërt. in Vit. circa finem habet , Cratem quendam Heracliti librum , quem Catacolymbitem inscripsit , Græcis afferentem dixisse , Librum ipsum Delio aliquo indigere natatore , qui in illo non suffocaretur . Adeo enim in scribendo obscurus fuit , ut ejus sectatores in ejus libris interpretandis insudaverint . Hinc Cic. 2. de Div. Valde Heraclitus obscurus . Et 2. de Fin. Heraclitus , cognomento qui Σκοτεινός (Obscurus) perhibetur , quia de Natura nimis obscure memoravit .

Atque ex hac scribendi obscuritate factum est , ut Clem. Alex. 5. Strom. dixe-

dixerit, Heraclitum non unum, sed duos mundos agnovisse, sic scribens: *Heraclitus Ephesius manifestissime est in hac sententia, cum unum quidem mundum censisset esse aeternum; alterum vero novisset interire; eum scilicet, qui consistit per variam, & multiplicem exornationem, ut qui non sit alias ab illo, qui aliquo modo se habet. Ceterum quod aeternum quidem noverit mundum, qui ex universa essentia est aeternae qualis, planum facit sic dicens: Mundum nec Deorum ullus fecit, nec hominum, sed fuit semper, & est, & erit Ignis semper vivus, mensura accensus, & extinctus mensura. Quod autem eum & ortum esse, & in eum cadere interitum putaret, significant ea, quae subjunguntur. Ignis conversiones primum mare: maris autem dimidium quidem terra, dimidium vero fulgur. Virtute autem, & potestate dicit, ab administrante omnia Verbo, & Deo, ignem per aeternam converti in humidum, quod est veluti semen dispositionis mundi, quod vocat mare. Ex eo autem rursus gignitur Terra, & Caelum, & quae in eis continentur. Quomodo autem in pristinum statum redeat, & ignescat, bis aperte ostendit: Mare diffunditur, & mansionem accipit eadem ratione, qua prius erat, antequam mare fieret. Similiter eadem quoque de reliquis Elementis. Hactenus Clem cui addit Stob. Phys. c. 11. Heraclitum, magnam hanc rerum revolutionem octo millibus annis absolvi, statuisse.*

Heracliti denique discipuli perhibentur Cratylus Atheniensis, Platonis praceptor, qui propterea Dialogum Cratyli nomine inscripsit, Hesiodus, Xenophon, Hecataeus, aliique, qui à Praeceptoris nomine Heraclitei dicti sunt.

C A P U T XIII.

De Secta Eleatica:

Elea, sive Velia, Magnæ Græciæ urbs, sic dicta vel ab Elea flumine praeterlabente, vel à paludibus, quæ Græcis Ἐλα dicuntur, quibus circumdatur, huic Sectæ nomen dedit. Ex hac enim prodiere præcipui, & in Secta eminentes, Parmenides, Zeno, & Leucippus. Ejus tamen Caput extitit

X E N O P H A N E S

Colophonius, ut testatur Clem. Alex. Strom. 1. Anaximandri, ut resert Sotion, coævus, Dexii, vel Orthomenis, ut Apollodorus habet, filius; quem Sotion Archelai, quidam Bithonis Atheniensis, alii nullius discipulum faciunt. Vixit fere semper pauper annos, ut ipse de se testatur, 92. Censorinus vero supra centum vixisse asserit. Floruit circa Olymp. 60. Scripsit Poëmata multa, quæ ipse publice cantabat; inter quæ Elegiæ sunt, & Iambi in Homerum, & Hesiodum scripti, quibus ea, quæ de Diis scripserant, reprehendit. Thaleti, & Pythagoræ contraria docuit, quædam etiam Epimenidi opposita. Heroicis versibus, quos citat Pollux 6. 9. ipsum de Natura scripsisse, probat cl. Fabricius Bibl. Græc. I. 2. ex quibus decerptæ ejus opiniones sunt sequentes.

Omnia sunt incomprehensibilia, ut autor est Sotion; ex quo deducit Plut. ipsum æque sensus, ac rationem à rerum criterio sustulisse: quicquid dicat Aristocles, qui, ipsum sensus tantum fallaces dixisse, asserit, ac soli ratione fidem adhibendam. Sextus etiam Empir. adv. Mathem. ipsum inter eos recentet, qui negant, dari criterium veritatis; non quod neget, nos quidquam comprehendere posse, sed quia eam rerum cognitionem, quæ ad scientiæ evidentiæ, & certitudinem perducat, nos assequi posse desperet, velitque omnia intr.

Intra probabilitatis terminos consistere. Ex Aristotelis scheda de Xenophane, Zenone, & Gorgia, colligitur, Xenophanem statuisse, ex nihilo nihil fieri, hoc est, rem, quæ semper non fuit, nunquam existere posse; unde concludebat, quicquid est, id semper fuisse: ergo id, quod semper fuit, æternum est: Quod æternum est, infinitum est: Quod infinitum unicum; si enim plura entia contineret, unum alterum destrueret, & sic infinitum non esset: Quod infinitum, & unicum est, omni ex parte sibi ipsi simile est; ergo unum ens: Denique hoc ens unicum, æternum, & infinitum, oportet, ut immobile sit, & immutabile: Si enim locum mutare posset, aliquid esset ultra illud, ac proinde infinitum non esset: Si vero sine loci mutatione alterari posset, res, quæ semper non extitisset, existere inciperet, & contra, res, quæ semper extitisset, desineret, quod fieri nequit, nam omne, quod ab æterno non fuit, si existaret, ex nihilo produci oporteret; & quicquid initium non habet, necessariam habet existentiam, ideoque ut desinat esse, non potest. Sed cum hæc omnia generationi, & corruptioni rerum materialium repugnant, quæ ad sensuum evidentiam sunt; ideo à sensibus veritatis Criterium abstulit, ipsos fallaces pronuncians. Notant viri doctissimi Bælius Lex. Crit. art. Xenophanes, & Buddeus in Dissert. de Spinozismo, ex hac Xenophanis doctrina promanasse Spinozæ doctrinam, quod una sit totius hujus universi substantia.

Deum unum esse, æternum, incorporeum; substantiam tamen ejus globosam esse, nec quicquam cum hominibus commune habere; sed omnia videre, omnia audire, non tamen respirare; & esse pariter Mentem, Prudentiam, Æternitatem, ut ex Laërt. & Clem. Alex. Strom. 5. habemus. De Diis fabulas ab Homero, & Hesiodo inventas confutavit, afferens, omnes nationes Deos humanæ formæ, humanisque affectibus obnoxios fingendo, sibi ipsis forma, veste, & moribus similes efformasse; ut ait Clem. Alex. l. c. ubi hæc Xenophanes:

*Credunt mortales, divos generarier ipsos
Veste sibi similes, & voce, & corpore toto.*

Quatuor rerum materialium Elementa cum aliis statuit: Mundos tamen esse infinitos, & immutabiles. Stellas, dixit, esse nubes accensas, quæ die extinguantur, noctu iterum, non secus ac carbones, accendantur. Solem ab igniculis, ex humida exhalatione collectis, generari; vel esse nubem ignitam: ejus vero Eclipsem esse ejusdem extinctionem, oriri autem, cum novus acceditur; affirmatque, aliquando Solem per mensem defecisse. Lunam dixit nubem constipatam, terra duodeviginti partibus majorem, ab hominibus, ut terra nostra, habitatam, ut referunt Plut. 2. Cic. Ac. Qu. 4. & Laëtant. 3. 22. quæ tamen nihil ad humanarum rerum generationem, ut Solem efficere afferit, conferat. Multos item Soles, & Lunas pro variis mundi Zonis, & Climatibus statuit. Nubes efformari à Sole, ipsas elevante. Animam spiritum esse, & plurima esse anima inferiora. Vide Laërt. Clem. Alex. Plut. Cic. Stob. aliosque.

P A R M E N I D E S

Eleates, Pyretis filius, genere, & opibus illustris, licet Xenophanis discipulus, ejus tamen doctrinas non semper secutus est. Unum enim cum Xenophane esse rerum omnium Principium, & id quidem immobile, ut refert Aristot. Phys. 1. 2. 3. statuit; Unum omnia, & Ens infinitum esse, atque præter hoc Unum Ens esse nihil; duo tamen rerum Elementa dixit, Ignem, & Terram, quorum Ignem qui dem rerum omnium Opificem fecit, Terram vero

vero Materiam appellavit. Quam quidem Terram primus omnium rotundam, in medio positam, undique æqualiter distantem, æquilibrioque suspensam, affirmavit. Duplicem esse Philosophiam dicebat, alteram ex veritate, ex opinione alteram. De rebus judicare ad solam rationem pertinere, dixit. Leges civibus suis dedit, teste Speusippo in l. de Philosophia. Philosophiam versibus, ut Hesiodus, Xenophanes, & Empedocles, expressit, sed non fabulosam. Callimachus tamen, nullum ab eo scriptum fuisse poëma, contendit. Vixit Olymp. 69.

Asterit, nullam rem vel generari, vel corrupti, sed tantum ejus rei speciem nobis imponere: Lunam ejusdem splendoris cum Sole esse, sed ab ipso lumen accipere: Viam Læteam esse misturam rari, & densi: Homines ex limo primum genitos esse, & ex calido, & frigido, ex quibus omnia compunctionur, existere; & mares quidem in septentrionalibus mundi partibus, quippe quæ maxime densæ sunt, prodiisse; feminas vero in australibus, quæ maxime raræ: hodie tamen in dextra uteri parte, mares, feminas in sinistra concipi. Partem animæ principalem in pectori statuit. Phavorinus ait, ipsum primum observasse, Vesperum, & Luciferum eandem stellam esse (quod alii Pythagoræ tribuunt) & argumento, quod Achillem vocant (Zenoni ab aliis est adscriptum) usum fuisse.

Tandem doctrinam de Ideis, qua ipse maxime inclinavit, explicatam vide apud Platonem in Dialogo, quem ipse Parmenidem, sive de Ideis, inscripsit.

M E L I S S U S

SAmius Ithagenis filius, Parmenidis discipulus, in gerenda Rep. egregius, magnæ apud suos autoritatis fuit, à quibus ob suam virtutem magni semper æstimatus, classi præfectus est. Floruit circa Olymp. 84. ut ex Apollodoro.

Universum hoc, Parmenidem secutus, infinitum, immobile, immutable, unum, sibi ipsi simile, ac plenum dixit; vacuum enim in natura negabat. De Diis nihil certum definiendum, dicebat, cum nullam de ipsis certam cognitionem habere possimus. In reliquis cum Parmenide sentiit.

Z E N O

ELeates, natura Teleutagoræ, adoptione Parmenidis filius fuit, & discipulus omnium carissimus. Plato ipsum Eleaticum Palamedem appellabat, quia proceræ staturæ erat. In Philosophia, & Rep. gerenda vir fuit eximius. Hic Agrigentum, ut refert Val. Max. l. 3. c. 3. venit, ut à miserabili servitute liberaret Agrigentinos; putans Phalaridis feritatem rationibus, & ingenio cohబere posse. His autem frustra tentatis, nobiles civitatis adolescentes liberandæ patriæ cupiditate inflammavit. Qua re à tyranno cognita, ipse captus, & vario coram populo tormenti genere afflctus est. Equuleo tamen impositus forti animo Agrigentinos increpabat, ut Phalarim lapidibus obruerent: quæ fortis cohortatio totius urbis animum, fortunamque mutavit. Alii vero cum Satyro in Epitome de Heraclide narrant, ipsum à Nearcho, sive, ut alii volunt, à Diomedonte tyranno, contra quem una cum Liparæis conspiraverat, comprehensum, tyranno aurem, vel, ut Demetrius ait, nasum morsu abstulisse, dum simularet, se in aurem de conjuratis dicturum. Antisthenes addit, ipsum, postquam ad præsentes conversus eorum ignaviam propter tormentorum metum reprehendisset, linguam morsu excissam in tyranni faciem expuisse: ex quibus accensi cives tyrannum lapidibus obruerunt. Hermippus vero afferit, ipsum in mortario contusum ex tyranni decreto mortuum esse. Floruit Olymp. 79.

T

Dia-

Dialectices inventor dicitur ab Aristotele, & Galeno in Hist. Philos. Proæmio. Deum esse, dixit, unum, æternum, similem, rotundum, nec finitum, nec infinitum, nec quiescentem, nec mobilem. Plures dari mundos; vacuum existere non posse; omnia ex quatuor primis qualitatibus, Calido, Frigido, Sicco, & Humido constare, quæ inter se commutentur; hominem ex terra factum; ejusque animam ex æquali harum qualitatum temperamento constitui. Locum dari nullum, nam & locus loci dari deberet, & sic in infinitum. Motum fieri non posse ullum, quatuor probabat argumentis, quæ cum reliquis ejus dogmatis optime explicat P. Bælius in Lex. Critic. artic. Zenon. Plutarchus in Pericle hæc de Zenone habet: *Audivit quoque Pericles Zenonem Eleatem, de natura, Parmenidis more philosophantem, qui impugnans quemlibet, usum paraverat quandam refutandi, qui deduceret ad perplexitatem; quod Pблиas Timon quoque affirmat his verbis:*

*Omnia persstringens Zeno disceptat, utraque
Ex parte invictus, sed non fallax.*

L E U C I P P U S

ELeates, sive Abderita, sive Milesius, juxta alios, Zenonem audivit, nolumque systema invexit. Universum hoc infinitum esse; cujus pars quidem vacua, pars vero plena sit. Hinc à Clem. Alex. in Protrept. & Cic. Acad. Qu. 2. dicitur, duo posuisse principia, *Plenum, & Vacuum*. Primus hic, omnia ex Atomis, sive particulis quibusdam indivisibilibus fieri, in easque omnia ultimo dissolvi putavit. De eo Lactantius l. de Ira Dei: *An solus Leucippus oculos habuit? Solus mentem? qui profecto solus omnium cæcus, & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens possit somniare.* Et mox: *Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua scari, aut dividi possint: unde illis nomen imposuit Atomorum.* Mundos etiam fieri dixit per abscessionem ex Infinito. Quod Systema pluribus explicant Laërt. Hesych. Illustris, & Leucippi discipulus

D E M O C R I T U S

Abderita, sive, ut alii apud Laërt. sed minus recte putant, Milesius filius fuit Hegestrati, sive Athenocriti, sive Damasippi ditissimi, & nobilissimi; nam, ut Abderitæ in ep. ad Hippocr. scripserunt, Herculis frater erat. Natus est, ex Apollodoro in Chronicis, Olymp. 80. fuitque Anaxagora junior annis 40. (cujus etiam discipulum quidam faciunt) Archelai, Socratis, & Enipodis coëtaneus. Notat Laërt. ex Herodoto, Democriti patrem adeo divitem fuisse, ut Xerxis exercitui epulum dare potuerit: unde Rex gratitudinis studio Magos quosdam, & Chaldæos apud eum reliquit, à quibus Democritus primis pueritiæ annis literarum rudimenta, Theologiam, & Astrologiam didicit.

Accepta deinde post patris mortem à duobus suis fratribus natu majoribus Hermodoro, & Damaso, sive Damaste, ut Suidæ, & Laërtio audit, hæreditatis parte, quam Demetrius centum talenta excessisse ait, propter nimium discendi studium peregre profectus est; & primo quidem ad Persarum Magos, & Chaldæos, à quibus in Theologia, & Astrologia fusius institutus est; deinde vero ad Ægyptios, à quibus Geometriam edoctus est, & cum quibus, ut ipse de se affirmit, annos vixit 80. Ad Indorum etiam, & Æthiopum Gymnosophistas, juxta quosdam, profectus est, ut variarum gentium sapientiam disceret. Hinc dicitur à Celso l. 2. c. 5. *Vir jure magni nominis; & à Laërtio Πέιρασμα,* hoc

hoc est, quinque certaminum vicit, quod Physica, Moralia, Mathematica, humaniorum literarum studia, omniumque Artium peritiam junxerit. Imo ipsemet de sua doctrina hæc jactat, ut notat Clem. Alex. Strom. 1. Inter omnes meæ ætatis homines plurimas peragravi terræ, maximeque remota investigavi, plurimasque sive aëris, sive terræ observavi proprietates, doctissimos vero homines audivi, neque in componendis ad demonstrandum lineis quisquam adhuc me superavit, ne inter ipsos quidem Ægyptios illi, qui Arpedonaptæ audiunt. Cum his autem postremo 80. annis fui in terra aliena. Verum secundum Diod. Sicul. Biblioth. Hist. 1. 1. apud Ægyptios proprie non plus quinque annis versatus est. Diodori autem verba ab Euseb. Evangel. Præp. 1. 10. citata hæc sunt: Τολαμβάνεται δέ καὶ Δημόκριτον παρὰ αὐτοῖς ἐπιδιατέλεσθαι τέντε, καὶ τοῦτο διδαχθῆναι οὐ κατ' Αἰσθησίαν: Existimant autem & Democritum apud ipsos versatum annos quinque, & multa de Astrologia dīdicisse.

A peregrinatione reversus Leucippum audivit, à quo Atomorum, & Inanis doctrinam accepit. Hinc de eo Laetantius Instit. 3. Ubi sunt, aut unde ista Corpuscula? Cur illa nemo, præter unum Leucippum, somniavit? à quo Democritus eruditus hæreditatem stultitiae reliquit Epicuro. E peregrinatione igitur regressus pauper humillime vixit, in hortulo juxta muros suæ urbis cœlulam sibi eligens, in qua à fratre Damaso alebatur. Ibi, quod ex cœli, & sublimium rerum contemplatione multa prædiceret, Sapientiæ cognomen obtinuit, ut notat Clem. Alex. 6. Strom. & tanquam Deus in honore habitus est. Inter alias ejus prædictiones hanc habemus ex Clem. 1. c. & Plin. Hist. Nat. 1. 18. c. 35. Metente fratre suo Damaso, dum æstus esset ardentissimus, ipsum oravit, ut reliquæ segeti parcens, jam desectam sub tectum raperet, ad paucas horas sœvum imbrem futurum, vaticinatione approbans, facta, ut ait cit. Clem. ex multis stellis conjectura. Quod cum sic evenisset, divinos honores, & laudes est consecutus.

Cic. 5. Tuscul. *Democritus amissis luminibus, alba scilicet, & atra discersere non poterat, at bona, mala &c. poterat.* Et mox: *Atque hic vir impeditri animi etiam aciem adspectu oculorum arbitrabatur.* Ex quibus Ciceronis verbis quidam educunt, Democritum seipsum excæcasce, ut naturæ secreta melius contemplaretur. Quod & confirmatur ex monumentis Historiæ Græcæ, hodie non obviis, ut ex versibus Laberii in Mimo, quos citat Gellius. Aliam præterea hujus cæcitatis caussam tradit Tertullianus in Apolog. c. 46. quod scilicet mulieres sine concupiscentia adspicere non posset. Ejus verba sunt. *Quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset, & doleret, si non esset potitus, excæcavit seipsum.*

Hæc Democriti vita in solitudinibus acta, & frequens risus, in quem diffundebatur ex quacumque occasione, potissimum vero cum hominum in operibus, & desideriis inconstantiam considerabat, unde & Γελάσιος dictus, in causa fuit, ut Abderitæ, ipsum atra bile ad furorem usque laborare, existimarent. Quare ex principibus civitatis Amelesagoram cum literis ad Medicorum principem Hippocratem miserunt, ut ipsum, decem talentorum mercede promissa, Abderam ad Democritum sanandum adduceret. Cujus negoti plures extant alternæ literæ Abderitarum, ipsiusque Democriti ad Hippocratem, & Hippocratis ad eosdem, quas vide in Hippocr. t. 2. Venit ad eum Hippocrates cum elleboro, quod insanæ remedium est, nullamque exegit mercedem, indignum hoc liberam artem libere profitenti afferens; cumque vidisset Democritum non insanæ laborare, sed totum ad Naturæ arcana detegenda incumbere; non ipsum, sed Abderitas, qui ejus Philosophiæ studia non noscerent, insanos affirmavit. Ex qua Hippocratis cum Democrito con-

versatione, mutuisque literis quidam cum Cornelio Celso affirmant, Hippocratem Democriti discipulum fuisse.

Dignus quidem est qui memoretur ejus mortis modus. Refert Hermippus, Democriti sororem fratris jamjam morientis instans fatum deplorasse, quod ipsa in Cereris Festo Deæ vota exsolvere nequirit. Quam Democritus miserans ait: *Bono esto animo; affer mihi quotidie panes calidos, & in Cereris celebitate non moriar.* Quibus quotidie allatis, eorum odore per omnes tres Cereris Festi dies vivum se servavit: quibus elapsis quietissime, ac minimo dolore obiit, magnoque, ac publico honore, & dolore ab Abderitis sepultus est. Vixit annos plus centum, ex Laërtio; 104. ex Luciano; 109. ex Hipparcho; 108. tamen ex Censorino.

Plurima post se reliquit scripta Ethica, Physica, Mathematica, Mechanica, sive de Artibus, atque alia, quæ à Thrasyllo in tetralogias, non secus ac Platonica, digesta memorat Laërtius in Vita; ibique notat, Platoni in animo fuisse, omnia Democriti scripta cremare, ad hoc faciendum plurimis jam comparatis ejus scriptis: id tamen Amycla, & Clinia Pythagoricis disudentibus, consilium mutasse.

Democriti doctrina συντριψτική, compendiose collecta, hæc est: Rerum Principia duo sunt; *Atomi*, seu *Ens*, & *Vacuum*, sive *non Ens*: ambo sunt infinita, Atomī tamen numero, Vacuum magnitudine: Atomorum proprietates duæ, *Figura*, & *Magnitudo*: Atomorum Figura infinita, magnitudo adeo exigua, ut nec oculis pateant, nec dividi possint, unde & *Atomoi*, Indivisibilis dicuntur: In infinito Vacuo Atomī moventur motu æterno, & non creato: Motus hic obliquus semper est: Atomī hoc motu agitatæ vel sibi mutuo adhaerent, & conjunguntur, vel in se mutuo impingentes resiliunt, & separantur: unde quicquid est, aut fit, secundum hujus motus naturalis leges fit, vel factum est: Atque hinc colligitur, omnia ex hoc Atomorum motu, & occursum existere; atque hunc Motum caussam esse generationis omnium rerum: Rapidissimum hunc Atomorum Motum Necessitatem etiam ipse appellabat, *Fatum*, *Justitiam*, & *Providentiam*, quæ Mundum condidit, quæ nihil aliud est, ut notat Stob. Phys. c.8. quam resistentia, latio, & percussio materiæ. Et ut paucis rem absolvam, ex fortuito Atomorum concursu cuncta genita sunt, & generantur; atque hæc universorum lex sola est. Atomorum Differentias, quæ cæterorum caussæ sunt, tres posuit, *Figuram*, *Ordinem*, & *Situm*: Sic omnis Generationis, & Corruptionis caussa est Atomorum Figura, per quam vel congregantur, vel segregantur: Alterationis vero caussa Atomorum Ordo, & Situs. His autem duobus rerum Principiis tertium adjecit, notante Clem. Alex. in Admon. ad Gentes, *Simulacra* scilicet, seu rerum *Species*; quas Species *Ideas* etiam, & *Idola* appellavit. Atque hæc de Principiis.

Mundi infiniti sunt, sibi similes, in Vacuo infinito positi; omnes vero rotundi, animæ expertes, qui generantur, & corrumpuntur. Ex rapidissimo Atomorum Motu omnia generantur Elementa, *Ignis*, *Aër*, *Aqua*, & *Terra*. Atomī Ignem componentes rotundæ sunt; reliqua Elementa ex Atomis omnis figuræ componuntur.

Sol Democrito magnus visus, & Luna ex levibus corpusculis, vertigine circumactis, componuntur; Luna vero, quæ & igneum Firmamentum dicitur, planities, valles, & montes continet. Omnes stellæ ab Oriente ad Occidentem feruntur; sunt autem hoc ordine locatae: primo fixæ, tum planetæ, inde Sol, postea Lucifer, tandem Luna. Cometæ, ut notat Arist. Meteor. c.6. ex Democrito, Anaxagoram in hoc sequente, sunt congeries plurium planetarum, qui unum corpus esse videntur.

Ven-

Venti fiant à multis corpusculis in angusto inani sese mutuo impellentibus, & arietantibus; placidus contra aér est, cum in largo inani pauca innatant corpuscula. Terra ob suam levitatem prius sursum, deorsumque ferebatur; successu tamen temporis densata, & gravis reddita in medio aëre subsebit. Terræ motuum caussam esse aquas pluvias, dixit, majori copia in ipsam influentibus, quam ex surgere possit, unde in ejus cavernas cum impetu irruentes, ipsius motus caussa existunt. Mare cum semper decrescat, tandem deficiat oportet. Nili exundatio nivibus liquefactis debetur.

Homines cum Epicuro ex aqua, & limo primum genitos statuit; sexum autem diversitatem pendere à seminis parte potiori masculum, vel feminam distinguente, vel locum in utero prius occupante.

Animam mortalem, ac cum corpore peritaram, dixit, & esse ignem, & calorem, cum & ipsa constet ex levibus corpusculis. Unde Cic. I. Tusc. Democritum enim, magnum quidem illum virum, sed levibus, & rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus. Duas agnoscit, ut refert Plut. Plac. 4. animæ partes, rationalem, quæ in pectore, irrationalē, quæ per totum corpus diffunditur. Visionem fieri per rerum imagines ab objectis in oculos incidentes: sic etiam sensus omnes, & intellectus. Sapores fieri à variis atomorum figuris. De Deo nil certi statuit, imo & omnium Philosophorum obscurissime visus est de Diis loqui. Hinc Cic. de Nat. D. I. 43. *Mibi quidem Democritus nutare videtur in natura Deorum &c.*

In ejus Ethica notandum, ipsum Vitæ Finem Εὐδαιμονίαν, animi scilicet Tranquillitatem statuisse, quam & Εὐτελία à bonitate constantiæ, aliisque non-minibus appellavit. Hæc autem non cum Epicuri Voluptate confundenda, ut perperam quidam faciunt. Sententiæ ad mores pertinentes potissimæ sunt: Prudentiæ est futuram injuriam præcavere; indolentiæ verò, quod factum est, non ulcisci: De turpibus factis vel loqui dedecet: Mensam pretiosam fortuna apponit, frugalem Temperantia: Optima liberorum institutio Patris Temperantia: Coitus brevis est apoplexia, ex homine enim homo proficit. (Notat Clem. Alex. Pædag. I. 2. Democritum vocasse etiam coitum morbum insanabilem) Fortis non modo qui hostes superat, sed etiam qui voluptatibus superior est; sunt enim qui civitatibus quidem imperent, feminis autem pareant: Libertas in dicendo ingenuitati propria est; sed occasionis diversitas periculum habet: Malum neque si solus fueris vel dixeris, vel feceris, & magis quam alios te ipsum disce revereri: Avaritia quædam est solum loqui velle, nec alios audire: Sapienti quævis terra patet, nam animæ fortis universus mundus patria est: Imprudentibus regi magis, quam regere prodest: Audacia principium est actionis, fini fortuna dominatur: Mulieri parere extremum viri dedecus: Medicina morbis corporis, Sapientia animi passionibus medetur: Pecuniarum usus cum prudentia ad liberalitatem exercendam, & populum adjuvandum, utilis est; publica vero largitio publica stultitia est: Actionis imago sermo est: Periculo plena liberorum educatio est, nam si res bene cedat, multum solicitudinis, & curarum affert, si male, alium dolorem summum trahit: Non probo liberorum propagationem; jucunda enim pauca, tenuia; molesta vero multa, & magna. Hinc de ipso Clem. Alex. 2. Strom. Democritus autem matrimonium repudiat, & procreationem liberorum propter multas, quæ ex ipsis oriuntur, molestias, & quod abstrahant ab iis, quæ sunt magis necessaria. Atque inde dicebat, Viro locupleti præstare magis filium amici adoptare, quam gignere; adoptans enim eligit ex multis quem pro voto desiderat, generans vero ex necessitate quem genuit, ut est, habere debet. Dicere solebat, Veritatem homines latere in profundo repositam. Quare Cic. 3. & 2. Acad. Naturam accusa, quæ in

profundo Veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruscerit. Julianus Imperator Epist. 37. refert, Democritum, cum Darium, uxorem acerbissime lumentem, solari non posset, ipsam ad vitam revocaturum pollicitum esse, si ei tria præstaret, quorum duo apud se erant, tertium vero facile Darium Regem comparaturum. Interrogatus à Dario quid tertium hoc esset comparatu difficile? respondit; *Si trium hominum, quos nullus unquam mœror turbaverit, nomina defunctæ sepulcro inscriperis, ad vitam redibit.* Hinc Dario, ex hoc responso turbato, ridens inquit: *Si non potes, mortalium imprudentissime, omnes hominum ætates lustrando, aliquem invenire, cui triste aliquid non obtigerit; cur tu, mortalis cum sis, non vis hanc ferre calamitatem?* Ex Democriti familia fuit Bion Abderita Mathematicus, qui primus docuit, esse quandam regionem, ubi sex mensibus dies, & totidem nox esset; ut notat Hesychius Illustris in Bione.

PROTAGORAS

Abderita, Democriti discipulus, homo vafer, ut Epicurus ait, in Philosophiæ studiis versatus est annis 40. In libro, cuius initium: *Πάνων Χρήματων μέτον, Omnim rerum modus, & mensura, hominem rerum omnium Criterion esse*, earum quidem, quæ sunt, ut sunt, earum vero, quæ non sunt, tanquam non sint, dixit: Materiam item in fluxu esse: Animam ipsos sensus existere. Cum hic Philosophus insincerus alium librum sic inchoasset: *De Diis quidem statuere nequeo, an sint, nec ne. Sunt enim plura, quæ id scire prohibeant &c.* Ob hoc libri principium ab Atheniensibus exilio multatus est, libri que ejus undique congesti, præconis voce cremati sunt. Primus pro mercede minas centum exegit, orationesque prælegendo quæstum faciebat. Claruit circa Olymp. 74. & mortuus est annos natus 70. ex Apollodoro, 90. ex aliis. Quomodo autem *ἐπ τῷ βασιλεῖ*, ex Bajulo Philosophus, ac Sophistarum acerrimus à Democrito factus fuerit, legere est apud Gell. I. 5. c. 3.

METRODORUS

Chius, Democriti discipulus dicitur à Clem. Alex. 1. Strom. vel Nessi Chii, juxta alios. Hic in Opere, quod inscribitur: *Majorem esse causam ad felicitatem eam, quæ est nobis, ea, quæ ex rebus oritur;* hæc inquit: *Animæ bonum quid est aliud, quam firma, stabilis, ac bona carnis constitutio, & spes fide digna, quod ea sic futura sit?* Physica rerum principia eadem cum Præceptore statuit, Plenum, & Inane. Metrodorum, etsi Epicureum, hæc tamen divine dixisse ait Clem. Alex. 5. Strom. Memento, Menestrate, quoniam es mortalis, & vitam accepisti terminatam; anima ascende usque ad æuum, & rerum infinitatem: videris & futura, & præterita, quando cum beato choro, ex Platonis sententia, felicem visionem, & spectaculum inspiciemus, sequentes nos quidem cum Jove, alii autem cum aliis Diis, & beatissima, si fas est dicere, mysteria peragemus, ac celebrabimus, ipsi quidem integri, & nulli malorum perpeccioni obnoxii, quæ in posteriori tempore nos manserunt: *integra autem, & quieta visa adspicientes, & contemplantes in luce pura, puri, & nequaquam hoc obsignati, quod nunc corpus circumferentes nominamus, & instar ostrei alligati.* Idem dixit: *se ne hoc ipsum quidem scire, quod nihil sciret.* Hujus discipulum Diomenem Smyrnæum faciunt multi cum Clem. Alex. 1. Strom. Smyrnæi vero, sive ejusdem Metrodori discipulus extitit

ANAXARCHUS

Abderita, qui cum Alexandro vixit, floruitque Olymp. 110. Magnus Nicocreontis, Regis Cypri, hostis fuit, ut ejus caput in magnifica sua cœna deesse Alejandro dixerit. Quare Nicocreon injuriæ memor, Alejandro jam mortuo, ipsum Anaxarchum, à tempestate in Cypri litus ejectum, captum, & in mortario positum ferreis pistillis contundi jussit. Dum autem tunderetur, hæc Nicocreonti forti dicebat animo: *Tunde Anaxarchi culeum, nam Anaxarchum non tundis:* vide Cic. Tusc. 2. 22. & de N. D. 3. 33. & Tertull. Apolog. c. 48. De hoc etiam Plin. H. N. 2. 23. & Val. Max. 3. 3. narrant, ipsum exsectam Tyranni jussu linguam in ejus os conspuisse; quod & de Zenone quoque in vita dictum est. Ob animi constantiam, & tranquillitatem fortunatus dictus est.

CAPUT XIV.

De Secta Sceptica.

Hactenus de Philosophis Dogmaticis, paucis tantum Academicis exceptis, actum est; veniendum nunc ad Scepticos, quorum Secta non minus, quam præcedentes, Eleæ originem debet. Hujus conditor extitit

PYRHONIUS

Eleus, è Plisarcho, obscuræ sortis homine, natus, ut Suidas ait, circa Olymp. 101. initio pictor fuit, ejusque soror Philista obstetrix. Deinde Philosophiaæ se addixit sub Drysone, seu Brysone, Stilponis filio; Alejandro, Metrodori Chii discipulo; & tandem sub Anaxarcho, cum quo ad Gymnosophistas etiam, & Magos profectus est.

Novam hic Sectam instituit, quæ ab autore dicta est *Pyrrhonias*: à dogmate Σκεπτική, Α'πορητική, Ζητητική, τοις Ε'φεκτικής, *Sceptica* ἀπὸ τῆς σκέψεως, *inspicere*, quod res consideret, nihil de ipsis decernens; *Aporetica*, quod de omnibus dubitet, ἀπὸ τῆς απορίας, *dubitare*; *Zetetica* ἀπὸ τῆς ζητήσεως, *quærere*, eo quod semper quærat, & nunquam inveniat; *Ephectica* tandem ἀπὸ τῆς επέχειας, *cobibere judicium*, semper enim judicium suspensum ipsi est. Hoc autem Pyrrhonios inter, & Novos Academicos discrimen erat, quod hi omnia æque vera, vel falsa esse posse asserebant, atque id solum se comprehendere, quod nihil posset comprehendi, & nihil decerni posse decernebant; Pyrrhonii vero neque hoc, quod Academicci affirmabant, decerni posse dicebant. Atque hinc nihil honestum, vel turpe, nihil justum, vel injustum, ac sic de reliquis, esse contendebant; hoc est, nihil tale ex se esse, sed lege, & consuetudine ab hominibus tale judicari. Plutarchus in P. Æmilio hanc refert Scepticorum de Sanguine opinionem: *Atqui, hæc qui jacitant, occasionem dederunt affruendi Scepticis, ne Sanguinem quidem inesse in animantibus, sed ex vulnere gigni, spiritu, vel carne per mutationem fluescente, vel colliquescente.*

Eodem semper vultu, & habitu perseverans, solitarius vivebat, rarius vel ipsis domesticis visus. Orationem non omittebat, etiamsi eum audientes destituerent. Secum loquens, interrogatus quid ageret? respondit: *Meditor, ut bonus evadam.* Magna ipsi in patria existimatio fuit; unde & Pontifex creatus est, & decreto, ad ejus honorem facto, à civibus cautum fuit, ut omnes

Phi-

Philosophi à publicis muneribus vacare possent. Athenienses etiam ipsum jure civitatis, referente Diocle apud Laërtium, honorarunt. Cum forore vivens, autore Eratosthene, gallinarum pullos, porcellosque sæpe in forum, ut vendere, deportavit. A cane invadente perterritus, cùm post arborem se recipere, à præsentibus derisus ait: *Difficile est hominem penitus exuere.* Navi aliquando vectus, ut resert Posidonius, dum ingens tempestas anxios teneret omnes, ipse imperterritus æquo erat animo, ac sociis porcello, in navi comedente, monstrato, ait: *Tali animi tranquillitate sapientem esse oportet.*

Mortuus tandem est annos natus fere 90. nullum relinquens scriptum. Ejus discipuli à Laërtio narrantur Eurylochus, magnus Sophistarum inimicus, ut Timon testatur, & ira facile exardens; Philo Atheniensis; Hecataeus Abderita; Antiochus Laodiceus; Nausiphantes Teius, Epicuri, secundum aliquos, præceptor; &

T I M O N

PHliafius, Timarchi filius, ut resert Apollonius Nicæus r. Comment. in Sillos, prima quidem ætate saltationi studuit; deinde Philosophiæ additus Stilponem, ac Pyrrhonem audivit. Xanthum majorem natu filium in Medicis instituit, institutique sui successorem reliquit. Pauper existens Philosophiam Chalcedone professus est; inde ditior factus Athenas venit, ibique ad mortem usque moratus, obiit annos attingens fere 90. ut Antigonus, & Sotion referunt. Scripsit Tragœdias, Satyras, & alia poëmata, Sillos item ad tres libros, & Cinædos: soluta etiam oratione ad viginti versuum millia scripsisse, quidam referunt. Vide Suidam.

Acri erat ad percipiendum, & deridendum ingenio, computationum amator, hortorum item, & solitudinis; nihil tamen vitæ tranquillitati anteponebat. Firma gaudens valetudine, prandii horam non habebat. Ejus in Schola successores, quia de ipsis ἀξιομνησόντος apud autores extat nihil, hic recensere supersedeo. Eorum Catalogum qui cupit, adeat Laërtium hoc loco, & cl. Fabricium Bibl. Gr. 1.3. c. 33. De Pyrrhoniorum doctrina scripsit Ænesidemus Gnoſſius, qui Alexandriæ floruit, in suis octo libris Disputationum Pyrrhonianarum; Sextus Empiricus lib. 10. de Sceptica Philosophia, & in aliis suis scriptis laude dignis: qui ambo Pyrrhonii fuerunt. Eruditissime tamen hanc Sectam propugnavit Franciscus Picus Mirandulanus.

Notandum hic primo est, Timonem hunc alterum fuisse, non illum, qui Μιράνδουπος, hominum osor, à Suida, & Luciano dictus est. Notandum secundo, inter Græcorum Sectas Pyrrhoniam hanc, & Epicuream Christianæ Religioni omnium maxime adversari.

C A P U T XV.

De Secta Epicurea.

INTER Græcorum Philosophorum Sectas ultimam Laërtius recenset Epicuream; cui nomen dedit ipsius autor

EPICURUS

EX illustri Philaidarum genere, ut Metrodorus in lib. de Nobilitate refert, Athenis, & proprie in Gargetto, Athenarum pago natus est ex patre Neocle, matre vero Chærestrata; unde à patris nomine *Neoclides*; à patriæ verò *Gargettius* autor dicitur à Statio; & à Cic. aliisque simpliciter *Gargettius* appellatur. Duos ei fratres fuisse, memorat Suidas, Neoclem, & Chæredemum, cui Laërtius, ex Philodemo Epicureo, tertium addit, Aristobulum. Natum dicit Laërtius, ex Apollodoro in Chronicis, anno 3. Olymp. 109. septem annis post Platonis obitum. Cùm vero ab Atbeniensibus colonia in Samum deducta esset; ibi nutritus est usque ad annum 18. quo Athenas venit, Xenocrate in Academia, Aristotele in Chalcide commorantibus. Inde Colophonem transit ad patrem anno ætatis circiter 23. quando & Mitylenæ primum, inde Lampsacū, Iudimagister fuit, teste Laërtio, & Suida, usquedum annum agens 36. vel 37. Athenas rediens Sectam à se vocatam instituit, postquam ad aliquod tempus se Democriteum professus est, referente Plutarcho. Verùm *In Democritum ipsum*, quem secutus est, fuit ingratus, ut ait Cic. Philosophiæ tamen studiis se addixit anno æt. 12. ex Suida, vel 14. ut ipse de se testatur apud Laërtium.

Scholam, Sectamque in Horto quodam prope Athenas, à se emto minis 80. instituit, ubi cum suis philosophatus est; quem locum etiam Hortulos Cic. 1. de Nat. D. vocavit. Sic ipse l. c. loquitur: *Democritus Vtr magnus imprimis, cuius fontibus Epicurus Hortulos suos irrigavit: hinc Horti, vel Hortuli nomine etiam ipsa Secta, vel doctrina vocari solet; & à Sext. Emp. et ἀπὸ τῶν κινῶν, ab Hortis Philosophi Epicurei dicti sunt.* In Horto collatis in unum ipsius, ac discipulorum bonis κοινῷ βιον statuit: quod & omnes Epicurei imitati sunt.

Plura scripsit, quorum series hæc apud Laërtium: *De Nat.* l. 36. *De Atomis*, & *Inanit*. *De Amore*. *Epitome Magna*, & *Parva*, eorum, quæ ad *Physicos*. *Adversus Megaricas addubitationes*. *Ratæ Sententiae*, vel, ut Cic. vertit; *Maximæ Ratæ*, & alibi; *Selectæ*, brevesque *Sententiae*; quia gravissimæ sint ad beate vivendum *Sententiae*: & Sext. Emp. appellat *Dictiones memorabiles*. Suidas vero *Scelestæ Insignia*. *De Electionibus*. *De Plantis* *De Fine*; qui liber idem videtur cum eo, quem Cic. citat *De Finibus bonorum, & malorum* de Fin. 1. 2. & *Tusc.* 3. 18. *De Summo Bono*. *De Criterio*, sive *Canon*. *Chæredemus*, seu *de Diis*. *De Sanctitate*, seu *Hegestanax*. *De Vitis*, sive *De Vita, & Moribus*. *De justa actione*. *Neocles ad Themistam*. *Symposium*. *Eurylochus ad Metrodorum*. *De angulo*, qui est in *Atomo*. *De Tacitu*. *De Fato*. *De Perturbationibus sententiæ ad Timocratem*. *Prognosticum*, sive *Præcognitorum*. *Exhortatorius*. *De Simulacris*. *De Imaginatione*. *Aristobulus*. *De Musica*. *De Justitia, & reliquis virtutibus*. *De Donis*, & *Gratia*. *Polymedes*. *Timocrates lib. 3*. *Metrodorus lib. 5*. *Antidorus lib. 2*. *De Austris sententiæ ad Mithren*; sive, ut recentiores Laërtii interpres, *De Morbis*. *Callistolas*. *De Regno*. *Anaximenes*. *Epiphilæ*; quas multas quidem fuisse apud autores legimus, sed tres tantum nobis servavit Laërtius, ex quibus omnem Epicureæ Philosophiæ doctrinam recentiores Horitorum sectatores excerpserunt. Præter dictos alii quoque citantur à Plutarcho, Cicerone, aliisque. Omnem vero Epicuream de Natura scientiam, quam ipse libris 38. tradiderat, elegantissimis versibus expressit sex libris Epicureus Lucretius, qui l. 3. has *Præceptoris laudes* contexit:

*Tu pater, & rerum inventor, tu patria nobis
Suppeditas præcepta, tuisque ex, inclite, chartis
Floriferis, ut apes in saltibus omnia libant,*

*Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.*

Atque etiam

*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Restinxit stellas, exortus uti æthereus sol.*

Quibus versibus hæc subjungit Lactantius I. 3. Inst. *Hos equidem versus
nunquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate, & Platone hoc saltem
dicebat, qui velut Reges habebantur Philosophorum: sed de homine, quo sano,
& vigente nullus æger ineptius deliravit. Itaque Poëta inanissimus leonis laudi-
bus murem non ornavit, sed obruit, & obtrivit.*

Infirmæ semper valetudine fuit; ex qua in gravem Lithiasis morbum inci-
dit; unde lapide in vesica urinam cohibente, calidæ balneum ingressus, hausto
meri potu, commendans discipulis, ut dogmatum suorum memores essent, diem
clausit, postquam 14. diebus ægrotaverit. Mortuus est an. 2. Olymp. 127. annos
natus 72. quem patria æreis statuis honoravit.

Ejus vero Sectatores ipsum maximo semper honore sunt prosecuti. Et qui-
dem Plinius, hac de re post 350. annos scribens, ait lib. 35. c. 2. *Natali ejus vi-
cesima lunæ sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas E'νταδας Icadas
vocant; unde & ipsi E'νταδισαι, Vicefimarii, appellati sunt, quia vicesimam
cujusque mensis diem colebant, qua Epicurus natus credebatur. Magistri etiam
imaginem, ut notat Plin. loc. cit. per cubicula gestabant, secumque circumfe-
rebant. Et Cic. l. 5. de Fin. c. 1. sub persona Attici: *Nec Epicuri licet oblivisci,
si cuiquam, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in
poculis, & annulis habent. Ejus laudes habet idem pluribus in locis; notatque,
eius discipulos omnes memoriæ mandasse ratas præceptoris sententias, quosdam
etiam omnia dogmata.**

Hæc autem Secta omnium maxime duravit, à morte scilicet Epicuri ad
Julii, & Augusti tempora, annis circiter 237. ac 14. habuit Hortorum Præsides,
sive Scholæ Magistros, ut notat Suidas; & ut ita dicam, quamdiu Athenis, &
Romæ literæ floruerunt, & ipsa floruit, aliisque deficientibus, non finem habuit.
Sed non ob doctrinæ eminentiam id accidisse, Lactantius 3. Inst. c. 17. afferit;
verum ob doctrinæ libertatem, morumque ex ipsa corruptionem. Sic enim
ipse l. c. loquitur. *Epicuri disciplina multo celebrior fuit, quam cæterorum; non
quia verè aliquid adferat, sed quia multos populare nomen Voluptatis invitat:
Nemo enim non in vicia pronus est.*

Rheticam, & Dialecticam contempsit, ut ex Laërt. Cic. aliisque habe-
mus: dictionem enim hauserat, si Cleomedi 1. Meteorolog. credendum, ex pro-
fibus, & mendicibus. Imo Divus Hieronymus Epist. ad Magnum de Epi-
curo ἐμπατιώτερον, emphatice magis, credo, ait: *Negue literas didicerat.
Physicis igitur, & Ethicis se addixit, quibus magnam apud suos gloriam na-
tus est.*

Ad Doctrinam ejus quod attinet, sciendum imprimis est, ipsum loco Diale-
ticæ, quam adspersnatus Inanem Loquacitatem, & cavillorum officinam appelle-
bat, Canonicas Philosophiæ Partem Physicæ præmisisse, in qua de Criteriis
agit; ejusque Summa hæc est: *Omnino Veritas est cum aliquid ita se habet,
ut se habere dicitur; Falsitas vero contra. Veritatis Criteria tria sunt, Sensus,
sive Sensio, pro rebus naturalibus, quæ Sensu cognoscuntur: Prænotio, seu
Anticipatio (sic ipse vocat, quod Philosophi fere omnes Ideas appellabant) pro
rebus naturalibus, de quibus mens ratiocinatur: & Affatio, seu Passio pro rebus
Moralibus, prout aliquid vel appetimus, vel refugimus; Inde hos deducit Ca-
pones: Omnis perceptio ex sensibus hausta vera est, nam sensus quoquam fal-
latur.*

litur. **Opinio** est consequens sensum, sensionique superadjecta, quæ vel vera, vel falsa esse potest. **Opinio** illa vera dicenda est, cui sensus evidentia vel suffragatur, vel non refragatur. Contra vero, **Opinio** falsa dicenda. Quod & innuit Cic. i. de Nat. D. ubi de Epicuro ait: *Omnes sensus veri nuntios dixit esse.*

Canones Prænotionis, sive Anticipationis (vulgo Ideæ) sunt. **Omnis**, quæ in mente est **Anticipatio**, seu **Prænotio**, dependet à sensibus, idque vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione. **Anticipatio** est ipsa rei notio, & quasi definitio, sine qua quidquam querere, dubitare, opinari, imo & nominare non licet. Est **Anticipatio** in omni ratiocinatione principium, quasi nempe id, ad quod attendentes inferimus unum esse, idem, aut diversum, coniunctum, aut disjunctum ab alio. **Quod** inevidens est, ex rei evidentiis anticipatione demonstrari debet.

Canones Affectionis, vel Passionis sunt. Ea **Voluptas**, quæ nullam habet annexam molestiam, amplectenda est. Ea **molestia**, quæ nullam habet voluptatem annexam, fugienda est. Ea **Voluptas**, quæ aut majorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda. His duos addit Canones de usu Vocab. Dum loqueris, dilige voces communes, & perspicuas, ne aut ignoretur quid velis, aut interpretando, tempus frustra teras. Dum audis, id entere, ut vim subjectam vocibus teneas, ne te vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.

Physica Epicuri omnis in quatuor partes divisa est. In prima agit ipse de *Universo*, sive *Natura Rerum*. In secunda de *Mundo*, in quo nos sumus, ex quo de aliis innumeris conjicere liceat. In tertia de *Rebus Humilibus*, sive de humo, cui inhæremus, & de rebus, quæ in ea sunt. In quarta demum de *Rebus Sublimibus tam Cœlestibus, quam Aëreis*.

In prima Physices parte asserit, *Universum Infinitum esse, Increatum, Æternum, Immobile, & Immutabile*. Rerum omnium Principia duo statuit, *Corpus, & Locum*, sive *Atomos, & Vacuum*. *Atomoi, Atomi*, sic dictæ ab a privativo, & τιμων, seco, latine *Indivisibiles*, eo quod ob earum soliditatem, & Vacui privationem, dividi nequeant; sunt prima rerum Principia, ex quibus concreta corpora gignuntur, & in quæ ultimo resolvuntur. Harum proprietates, sive qualitates, quibus inter se differunt, sunt *Magnitudo, Figura, & Pondus*. Secundum has Atomorum proprietates omnia concreta corpora inter se differunt. Omnes *Atomi* dupli motu moventur, altero proprio, & æterno, quo ex proprio pondere deorsum per rectam moventur; altero reflexionis, cum aliæ aliis impingentes reflectunt motum; ex quo fit, ut aliæ aliis cohærent, & corpora constituant. Quum per Vacuum moventur, cujuscumque sint magnitudinis, vel ponderis, æquali motu moventur. *Atomi* leviores, & subtiliores, quæ invicem implicari nequeunt ob suam rotunditatem, & levitatem, liberius moventur, quam *Atomi* ob suam scabritiem, & angulos implicatae: unde & *Agentis* nomen obtinent. Ex his *Atomis Anima, & Spiritus* omnes componuntur; qui Agentis intrinseci nomine veniunt, quia intra corpus positi & ipsum corpus, & seipso movendi facultatem habent. Agentis vero extrinseci nomine venit ipsa vis, seu motus proprius Atomorum. *Fortuna, Fatum, & Finis* impellens, non sunt, nisi effectus necessarii à caussis physicis, licet incognitis, procedentes: sic etiam *Sympathia, & Antipathia*; illa quidem ab atomis uncinatis à corpore aliquo exeuntibus, & in corpus aliud impingentibus, quod suis uncis ad illud trahunt, oritur; secunda vero ab atomis acutis, corpus, in quod incidunt, repellentibus, provenit. Lux est substantialis effluxio à corpore lucido procedens. Colores ab hac ipsa substantia in corporum superficies incidente, &

Inde varie reflexa, oriuntur. Sonus fit ab effluxione tenuissimorum corpusculorum, à corpore sonum edente profectorum, quæ aurem subeundo, sonum efficiunt. Idem dicendum de reliquis sensibus. Tempus, quod eventum eventorum, & accidens accidentium Sext. Empir. vocat, non est ens reale, sed ens rationis, hoc est, non ex se existit, sed cogitatione concipitur. Hinc Luctret.

*Tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus*

Ortus, & Interitus, sive Generatio, & Corruptio, sunt quædam mutationis, sive alterationis species: tunc enim corpus aliquod gignitur, cum atomi, prius sejunctæ, uniuntur, & concrescunt, & in novam formam prodeunt: contra verò Corruptio est secretio atomorum, sive disjunctio partium corpus componentium in visibiles, vel invisibiles. Cum ex fortuito atomorum concursu cuncta in Mundo, & Mundum ipsum genitum esse, Epicurus afferat; inde deducit, posse nos post corporis hujus exsolutionem iterum esse tales, quales nunc sumus, modo similis atomorum fortuitus concursus fiat.

In secunda Physics parte docet, Mundum hunc nostrum esse portionem, quandam Universi infiniti, Cœlo complexam, ac terram, sidera, & corpora inter terram, & Cœlum sita, continentem. Mundus hic cujuscumque figuræ fingi potest, & æternus non est, sed in tempore genitus, nec ab Ente aliquo Supremo, sive Deo factus, sed casu, ex fortuito scilicet atomorum per Universum excurrentium concursu, per quem sibi in vicem adhærentes, concretæ, & compactæ primò quidem Chaos quoddam formarunt, deinde post multas convolutiones vario modo irretitæ, & glomeratæ eam formam induerunt, quam mundus nunc exhibit. Ex his quæ majores, graviores, & ramosæ erant, subsidentes, & implexæ, terram, & terrestria corpora formarunt, quæ secundum variam atomorum molem, pondus, & figuram inter se differunt; quæ vero leviores, rotundæ, & teretes, ex his corporibus expressæ, in sublime latæ, ignem, Solem, & sidera produxerunt: tandem quæ mediæ conditionis, in medio positæ aërem fecerunt. Animalia cuncta ex quibusdam veluti folliculis, in uterorum formam à terra, genitale semen conservante, prolatis, orta sunt; & ab ipsa terra tanquam matre humore quodam lacti simillimo nutrita. Idem dicas de generatione Hominum, qui à folliculis, terræ radicibus adhærentibus, & à sole excalefactis, & exclusis producti sunt. Terra deinde veluti senescente, ut in mulieribus nunc fieri videmus, exhaustisque seminibus, homines, ac reliqua animalia non amplius ex terra sponte erumpunt, sed media propagatione oriuntur. Sed nihil impium magis, & ineptum ex Epicuri ore prodixit, quam Deum mortalia non curare, ac nulla Dei Providentia Mundum gubernari; sed omnia ex necessitate contingere, ac solem, sidera, & cuncta in Mundo sic moveri, & ad Mundi usque consumtionem movenda, prout semel in sui productione singulis ipsorum motus obtigit. Unde Cic. I. de Nat. D. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cùm Diis immortalibus & opem, & gratiam sustulit. Et Clem. Alex. Epicuri sectam sinceræ Philosophiæ adulterinam prolem vocavit: quam Paulus etiam Apostolus in Act. Apostolorum jure damnavit, quod tollat Providentiam, & in Deorum numerum referat Voluptatem. His autem ad probandum infirmis, & nugatoriis argumentis nefandam hanc suam sententiam, quam nemo unquam nec ante, nec post ipsum somniant, probare nititur. I. Si beatus quis esse nequit, nisi quietus; quomodo Deus tot inter molestas, operosaque curas, in Mundi regimine necessarias, beatus erit? II. Si Deus, qui justus est, Mundum gubernaret, nec bonis mala, nec malis bona acciderent; sed bonos infelices, malos vero felices, innocentiam minus tutam

tutam, scelera impune videmus committi; ergo nulla in Mundi regimine Prudentia. III. Deus omnium scelerum causa esset, ea vel volens, vel permitens. IV. Denique, si Deus iræ, & gratiæ capax existit, cur conceptis votis alii pereunt, alii ex morte servantur; alii liberos precati obtinent, alii frustra precantur? Quibus argumentis vel pueri respondeant. Iisdem fucatis rationibus Dei in Mundi regimine administrös, Genios, Dæmonas, & Spiritus omnes rejicit. Mundus quia genitus, peribit. Dantur Mundi infiniti huic nostro similes, & dissimiles, sed perituri.

In tertia parte de Terra agens, ipsam in orbem, vel circulum instar disci, vel tympani, non sphæræ, vel globi efformatam, in Mundi medio sitam afferit, in cuius centrum gravia cuncta feruntur. Dari antipodas negat, Terræmotus causam ait esse aquas, ignem, vel spiritus subterraneos, terram succuentes. Fluviorum, & fontium originem, ac Nili inundationem bene cum reliquis fere Philosophis explicat. Aquam in glaciem verti, ait, excluso ab aquæ particulis Inani. Herculei lapidis, quem Magnetem dicimus, quod in Magnesia primum inventus sit, phænomenon explicat per amplexum partium hamatarum ex ipso effluentium, & cum particulis ex ferro manantibus complexarum; quæ in utrumque impactæ, & resilientes in medium circumPLICANTUR invicem, & ferrum simul pertrahunt. Animalium generatio ex utriusque sexus semine commisto proficiscitur: utrumque autem semen ex singulis corporis partibus manat: mas tamen gignitur, cum masculum, femina, cum femineum semen prævalet: sterilitas tandem à semine vel crassiori, vel tenuiori, quam par est, provenit. Anima, corporis forma, seu nota, est corpus tenuissimum, ex tenuissimis particulis, rotundis, & levibus contextum, & per totum corpus (quod crassius dicitur) diffusum, & ab ipso crasso corpore separatum in auras abit, & Anima esse definit. Quam de Animæ Mortalitate sententiam Epicuro antiquorem fuisse, deducitur ex Salomone, qui Sap. 2. impios ejusdem opinionis memorat sic dicentes: *Cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur, tanquam molliis aër.* Et exinde hoc consequens eduentes: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tanquam in juventute celeriter.* Animam vero incorpoream non esse, ex eo probare nititur, quod nec tangere corpus, nec ab ipso tangi, nec agere, nec pati posset. Hinc Lucretius:

Tangere, nec tangi, nisi corpus, nulla potest res.

Visus fit à simulacris, sive imaginibus manantibus ab objectis, & in oculos incurrentibus; hoc est, per effluxiones atomorum, à corporum superficiebus continenter manantium, atque eundem ordinem, & posituram corporum servando, objecta, prout sunt, oculis repræsentantium. Simili modo de aliis sensibus discurrendum: Auditus enim fit ab effluxu partium subtilium, à percussis, sive sonoris corporibus ad aures venientium, ipsasque pro varia atomorum figura vel leniter ferientium, & gratum sic sonum producentium; vel lacerantium, unde & ingratus sonus fit. Idem dicas de particulis à corpore odoro ad nares venientibus, & Olfactus sensum facientibus; vel palati partes tangentibus pro Gustatu; vel corporis peripheriam pro Tactu. Animi, seu Mentis sedes cor ab Epicuro ponitur, hoc ducto arguento, quod lætitiae, metus, &c. sensum in corde sentimus. Mens non cogitat, nisi per simulacra in ipsam incurrentia, sive ab objectis præsentibus proveniant, quod fit cum res præsentes cogitamus; sive à corporibus subtilissimis per aërem volitantibus, & sive à corporibus direpta, sive in ipso aëre formata ea sint, corpus humanum subeuntia, in mente hanc, vel illam cogitationem excitant. Affectus, sive Animæ Passiones vel sensum sequuntur, & in partibus, quæ sentiunt, excitantur; vel ex cogitatione dependent, & excitantur in corde. Passiones præcipuæ duæ sunt,

Volu-

Voluptas, & Dolor; quarum prior animæ secundum naturam est, posterior præter naturam. His duas alias addit præcipuas etiam, & generales, Cupiditatem scilicet, & Fugam: reliquas vero Passiones harum quatuor species dicit. Motus voluntarius fit ab ea animæ parte, quæ sensile simulacrum recepit, quæ deinde reliquam animæ partem per corpus diffusam pellit, & sic corpus, vel ejus pars movetur. Aër exspiratus à linguae motu modulatus vocem efficit. Animæ à sensibus feriatio Somnus est, quæ fit, cùm animæ pars à cibo, potu, lassitudine, vel simili sive interna, sive externa caussa foras ejicitur, pars intracorpus remanens oppressa, & veluti sepulta, non secus ac ignis sub cinere, jacet. Insomnia fiunt à simulacris in aëre existentibus, quæ cor subeundo animæ fæse offerunt. Quod autem optamus, vel saepius cogitamus, solet plerumque insomniorum materies esse, quia ardens desiderium, vel frequens ejusdem rei cogitatio vias latas in anima relinquit, per quas simulacra affinia ab aëre venientia animam facilius subire valeant. Mors denique est sensus privatio propter animæ excessum, quæ in aërem dissipata perit.

In quarta tandem parte de rebus Cœlestibus, & Aëreis differens, hæc habet. Sidera omnia igneæ sunt naturæ, composita scilicet ex atomis subtilibus, rotundis, & levigatis. Siderum omnium magnitudo talis est, qualis oculis apparet, secundum nos, sensus enim falli nequeunt; sed secundum se considerata, esse potest vel paulò major, vel paulò minor, vel præcise tanta, quanta videtur. Fixas esse, ait, veluti tot clavos cœlo infixos. Errantes cœlorum motu ab ortu ad occasum feruntur; contrario motu, & proprio ab occasu in ortum. Sol, Luna, ac reliqua sidera oriri possunt, & occidere vel per apparitionem supra, & occultationem infra; vel per accensionem in regione orientis, & extinctionem in regione occidentis factam; vel denique per renovatam quotidie productionem, novo scilicet sole exorto ex confluentibus in ortum multis ignibus, ignisque seminibus. Dies noctibus non sunt æquales, vel ob cursum solis obliquum in Zodiaco; vel quòd certa per ætherem sint loca, ob suam crassitatem solis cursum retardantia plus quam alibi; vel denique quia sol mane genitus, ex loci, in quo accensus est, differentia, breviorem, vel longiorem cœli viam percurrere debeat. A sole propria luce fulgente & calor, & lux continuo manant, & sol non extinguitur, quòd pabulum accipiat à caloris, lucisque seminibus, ex universo mundo ad ipsum venientibus. Cætera astra & lucem à se habere, & à sole mutuari, æque dici potest. Lunæ Phases, seu incrementa, & decrementa proveniunt vel ab ipsa ad solem (si ab ipso lumen habere putaveris) accedente, minorem illuminatæ faciei partem nobis in dies ostendente; & ab eadem à sole abscedente, & majorem lucentis faciei partem semper monstrante, quo usque illi opposita tota videatur: vel, globosa cum sit, & altera sui parte lucida, altera obscura, ex continua sui corporis revolutione, obscuræ, lucidæque faciei partem alternatim ostendit: vel tandem, si lucida ex se supponatur, poterit paulatim obscurari à corpore aliquo sphærico, & opaco, quod cum ipsa continuo circumvolvatur. Idem corpus opacum, quod Phases producit, poterit Eclipsim efficere, si totum Lunæ corpus obtegat; vel quod obscura ejus pars repente nobis obversetur. Solis vero Eclipsis à luna inter ipsum, & terram media, fit: potest etiam Solis, Lunæque Eclipsis ex hoc contingere, quod per loca luci infesta transeuntes, lucem amittant, donec ipsis locis prætergressis, lucem recuperent. Sidera Præsagitionum non caussæ sunt, sed signa; ut & quedam animalia occasiones nobis sunt, ex quibus futura prædicimus. Cometæ vel sunt ignes in sublimi regione geniti, & tamdiu durantes, quamdiu pabulum, quo nutriuntur, durat; vel sunt stellæ semper quidem existentes, sed statis certis temporibus ex propria quadam cœli revolutione tantum nobis appa-

apparentes. Stellæ cadentes dictæ vel fiunt ex attritu verarum stellarum , ipsorumque fragmentis ; vel ex ejusdem materiæ prolapsu , ut in fulgurationibus ; vel ex coëuntibus atomis ignificis . Nubes vel gignitur ab exhalationibus , à terra , & aqua sursum elevatis ; vel est aëris incrassamentum , à ventis compellentibus factum . Ventus verò , cùm in angusto inani multa sunt corpuscula , fit ; unde atomi per hoc angustum inane pergentes celerius moventur , & aëris sequitur agitatio , quæ Ventus dicitur : & contra quietus aëris status , cùm in multo inani pauca sunt corpuscula : gigni etiam potest ex halibus , à terra , marique solis vi elevatis . Presteres sunt gyri ventosi , produciti à nube , à vento depreßa , agitata , vel perforata . Fulmen fit ab igne in nube accenso , & ventorum , vel ipsius ignis vi nube fracta , & consessa , cum impetu exploso . Fulgor producit ex attritu nubium , quo ignea corpuscula aggesta calorem , & coruscationem concipiunt : Tonitru vero ab iisdem nubibus diffractis , vel à vento in ipsis fortiter agitato . Pluvia ex nubibus defluit , cùm vis venti eas urget , unde aqueæ particulæ in guttas coalescentes decidunt : Ros vero à vaporibus , ab humentibus locis elevatis , & in aëre coëuntibus , gignitur . Grando vel à vento frigido , aqueas guttas decidentes congelante efficitur ; vel sunt gelatæ nubis fragmenta , ab eadem concisa delabentia . Nix est tenuis aqua à nubibus expressa , ea ratione , ut spumescat , quæ deinde à frigido condensatur . Pruina ros est , à frigido vento in terræ superficie gelatus . Iris creatur , vel quod aër humescens ad verso solis splendore resulgeat ; vel quod ea sit specialis natura tum lucis , tum aëris , ut hujusmodi colores exprimat . Halos circa lunam generatur à crassiusculo , sive nubilo aëre , undique circa ipsam evecto , & lunæ lumine irradiato . Sunt quædam Averna loca , venenosis vaporibus , ab intimis terræ partibus exhalantibus , infesta . Pestilentia tandem à terra , intempestivis præsertim pluviis , & ardoribus putrescente , produci solet : qua deinde putredine infectus aëris , huc illuc vi ventorum perductus , Pestilentiam parit , ex qua homines , & quandoque animalia pereunt : Et de Physicis satis .

Ethicæ , quæ potissima Philosophiæ pars est , & quæ nos ad Finem , seu Summum Bonum consequendum instruit , quæque media , quibus ipsum consequamur , ostendit , hæc Epicuri compendifacta doctrina est . Considerandum tamen in limine est , quod etiamsi communi omnium consensu , ut notat etiam Sen. de Vit. Beat. c. i. vitæ Finis , seu Summum Bonum , Felicitas statuatur ; in hoc tamen vel multi errare solent , quod vel quæ vera felicitas sit , vel media , quæ ad ipsam adducant , ignorent . Hoc est , quod nobis Ethica præstat , cuius præceptis bene utentes , & veram felicitatem adipisci , & media ad ipsam producentia cognoscere valemus .

Felicitas , ad quam omnes naturaliter tendunt , duplex est , altera quidem *Summa* , seu quæ nec crescere , nec decrescere potest , in qua scilicet nullum deest bonum , nullum adeat malum , & hæc Dei propria , & sola est : altera vero *Subalterna* , in qua vel bona aliqua desunt , vel mala aliqua adsunt , intendi capax , & remitti , & hæc hominis felicitas esse potest . Ad quam felicitatem homines omnium maxime ducit *Sapientia* , ex qua homo habet unde dolores constanter toleret , & dum ipsis opprimitur , non vincatur .

Beatæ vitæ finis *Voluptas* est , principium , & finis , bonorum omnium , ex natura sua quid bonum , dolor contra ex sui natura quid malum ; sine Voluptate nulla felicitatis notio haberi potest ; & tandem felicitas universa in Voluptate consistit . Voluptas , in qua sita felicitas est , dicitur *Indolentia corporis* , & *Tranquillitas mentis* . Quæ hanc Voluptatem pariunt potissimum virtutes sunt . Corpori Medicinæ ars , menti Ethica medetur . Corporis morbos vel arcet , vel curat , vel leniores reddit *Temperantia* ; corpore vero ipsos

patiente , constantia , & fortitudine utendum . Principales animi morbi duo sunt , *Cupiditas* , & *Metus* ; quibus Philosophia per virtutes medetur , quæ à recta ratione , & prudentia adhibitæ illos vel arcent , vel tollunt . A recta ratione , & libero arbitrio omnis virtutum laus est . Omnis virtus vel ipsa prudentia , & rectæ rationis dictamen est , vel ab ipsis regitur , ac pendet . Virtus quadruplex est , *Prudentia* , *Temperantia* , *Fortitudo* , & *Justitia* . De quibus singulatim ; reliquæ enim omnes ad has referuntur .

Prudentia ars bene vivendi dici potest ; ejus enim munus est vitam regere , & omnia , quæ in vita contingunt , ad beatam vitam dirigere : unde virtutum omnium munera complecti videtur . Prudentia igitur mala omnia tum animæ , tum corpori ne contingent , præcavet ; & si contigerint , vel pellere , vel tolerantia minora reddere nititur . Prudentia triplex est , *Privata* , *Domestica* , & *Civilis* .

Prudentiæ Privatae primum illud est , ut quisque naturam , geniumque suum norit , & nihil repugnante natura adorsus , mature provideat de statu , in quo vivere sibi proposuit , ac omnes vitæ actiones sic accomodet , ut , quantum fieri potest , indolenter , ac tranquille vivat . Atque hinc fit , ut neque desidiosi genii viro vita actuosa , neque viro actuosi genii desidiosa sequenda sit . Omnis igitur cura , & solicitude in status electione ponenda est , ut ille deligatur , in quo tranquillius vivere possimus . Quare ad bene vivendum securior erit , qui neque valde emineat , neque abjectus sit , sed inter utrumque medius .

Prudentia Domestica , quæ vel conjugalis , vel paterna , vel herilis , vel possessoria esse potest , nos admonet , quomodo nos erga uxorem , liberos , servos , & rem familiarem gerere debeamus , & primo , si cælebs sine angore vivere non possis , solicite considerandum , an poteris morosam uxorem , male moratos liberos , & quæ ipsis acciderint , incommoda patienter ferre . Si autem his tolerandis imparem te noveris , uxorem ducere non expedit . Sin contra maturum consilium , vel necessitas aliqua ad nuptias te adegerit , uxor tibi morigera ducenta est , quam tui amantem , & domesticarum curarum partem suscipientem reddes ; liberique bene educandi , ut patriis legibus obtemperantes , sapientes evadere possint . Servi autem , quorum possessio parum jucunda esse solet , ita tractandi , ut nunc pene inviti ipsis castigemus , nunc condonemus , præcipue si non malæ indolis sint . Rei denique familiaris cura ita gerenda est , ut citra avaritiam , ac ditescendi cupiditatem in futurum prospiciamus : moderatus enim rei familiaris usus ad vitæ tranquillitatem necessarius est .

Prudentiæ Civilis regula eadem fere cum ea , quæ de eligendo statu modo tradita ; hoc est , ne quis ad Reipublicæ regimen accedat , nisi publicis rebus gerendis idoneus ; qui scilicet actuosam naturam sortitus , vel natali , vel doctrina , vel morum probitate illustris , publicam rem bene gerere valeat . Privata , & ociosa vita actuosæ præferenda quidem est , sed non semper ; nam si Reipublicæ urgens necessitas , ad regimen tenendum , vel ad leges ferendas , vel ad magistratus reformandos , nos compellat ; si ut Principis locum teneamus , vel Principi consiliis in regno prodesse cogamur ; tunc publicum bonum privatæ quieti præferendum : quinimo & ipsi in publicis his , magnisque muneribus animi tranquillitatem , corporisque indolentiam habere possumus , modò sapientes simus .

Temperantiæ munus est cupientem animum reprimere : minus enim indecorum est pusillanimitate demitti , quam cupiditate efferti . Temperantia igitur tota in moderandis cupiditatibus versatur ; ac quæ sint secundum rationem expetenda , vel fugienda , nos admonet . Ab ipsa enim didicimus , cupiditates illas fugiendas , ex quibus dolores , infamia , damna , & quandoque etiam judiciorum poenæ proveniunt ; iis enim devitatis majores inde voluptates oriuntur .

tur. Sed quia cupiditatum genera tria sunt ; aliæ enim cupiditates sunt naturales , & necessariæ ; aliæ naturales , sed non necessariæ ; aliæ neque naturales , neque necessariæ , sed inanes : ideo de quibusdam Temperantiae speciebus contra quasdam cupiditatis species differendum . De Sobrietate igitur , quæ opponitur gulæ ; de Continentia , quæ libidini ; de Lenitate , quæ iræ ; de Modestia , quæ ambitioni ; de Moderatione , quæ avaritiæ ; ac denique de Mediocritate , quæ est inter spem , & desperationem futuri , pauca dicamus .

Sobrietas nos ad vietum tenuem , simplicem , & parcum componens , magnum ad vitæ sanitatem conservandam , atque inde ad corporis indolentiam procreandam , bonum nobis præstat . Paucis quidem natura contenta est , iisque paratu facillimus . Enimvero vulgatum nimis illud est , plures occidi gula , quam gladio . Præcipua autem , quæ sobrietas parit , commoda , quatuor sunt . I. Quia morbos omnes , quos gulæ intemperantia gignere solet , vel arcet , vel tollit , ac sanitatem conservat . II. Hominem ad vitæ usus necessarios expeditum , & impigrum reddit ; corpus enim æque ac mens cibis gravantur , & opprimuntur ; & utriusque functiones læduntur . III. Si quando per intervalla sit mensa splendidior , majorem capimus , quam adsueta , voluptatem . IV. Denique , quia vilioribus cibis semper utentes , paupertatem non timemus ; ad sobrie enim vivendum nemo pauper . Hinc Epicurus in Hortulorum foribus hoc inscribi mandabat : *Hospes hic bene manebis ; hic summum bonum Voluptas est : hospitalis domicilii custos polenta te excipiet , & aquam large administrabit.*

Continentia adversus libidinem , sive abstinentia à rebus venereis , eximia virtus est ; venereorum enim usus nunquam prodest , saepe etiam nocet : nam iis intemperanter potissimum uti , est vitam facere debilem , brevem , curis anxiam , morbis obnoxiam ; & sic levem hanc voluptatem multa excipient mala . Vir ergo sapiens se ab amore capi non sinat . Quod ut facilius consequatur , primò tenui utatur cibo ; nam ex nimio cibo augetur seminis copia , crescitque amoris fomes . Secundo incommoda meditetur , quibus amantes obnoxii sunt ; ut virium , rei familiaris , famæ , & similiū jacturam . Tandem à Musicis , & Poëticis abstineat , à quibus voces , & cantilenæ , Deorumque mœchorum turpia exempla suppeditantur , quæ libidinis incentiva sunt .

Lenitas , sive Mansuetudo adversus iram maxima , & omnium forte difficultima virtus est , quæ animum injuriis vulneratum sanat , sanumque ab iræ , vindictæque cupiditate sic continet , ut neque ipsa emoveatur , neque indecorum aliquid fieri permittat . Ab ira tamen se continebit sapiens rationis præsidio freatus , & mature perpendens , non esse in sua potestate positum , ut cæteri justi sint , nec passionibus abripiantur : sicque injurias tanti faciet , quanti damna , & incommoda , quæ ab anni tempestatibus , casibus fortuitis , aliisque caussis extra suam facultatem positis , ipsis accidunt . Tum etiam considerare poterit animi perturbationem , timorem , damna , & mala cuncta , quæ ab expleta vindicta oriuntur . Famæ denique bonæ gloriam , quæ non ulciscendo injurias , sed innoxie vivendo acquiritur ; sic enim mitis injuriæ superiorem ostendet animum . Si autem castigare debeas , citra iram id facias .

Modestia adversus Ambitionem nos admonet , ut supra diximus , Reip. magistratus , & honores non affectare , nisi à Rep. tanquam ipsius regimini necessarii advocemur . Hinc occulta , & privata vita ab Epicuro commendatur ; nam is bene vixit , qui bene latuit . Ambitio contrà curis molestissimis , solicitudinibus , inquietum reddit animum . In agris vero vivere , nullique publico muneri se addicere , per quam beatum , & felix vitæ genus est . Non igitur ab externis , iisque omnibus , quæ nostra non sunt , gloriam querere , sapientis est proprium .

Moderatio adversus avaritiam dicitur illa animi dispositio , qua quis vel

paucis, vel ipsa etiam paupertate contentus vivens, nihil optat, nihil quærit. Hic sua sorte, qualiscumque ei contigerit, latus, & contentus, cum divina fere felicitate contendit: nam sicuti Deus nullorum indigens bonorum nec quid optet habet, sed in se ditissimus est; ita sapiens Deum ipsum imitatus non indiget, quia non avet, & simplicibus, cunctisque obviis naturæ bonis utens huius vivit. Cum autem paucis natura contenta sit, non ille felix, qui multa possidet, sed qui nihil cupit; nam cui pauca non sufficiunt, ei nec plurima satis erunt. Si igitur ad naturam vixeris, nunquam eris pauper, si ad cupiditatem, nunquam dives: bonorum enim cupiditas inexplebilis est, mentemque cruciat.

Mediocritas inter spem, & desperationem futuri, sapienti necessaria est. Hæc docet, nos in rebus futuris, sed contingentibus, nec certe sperare, nec omnino desperare debere. Utrumque igitur extreum fugiendum; quod hæc potissimum ratio suadeat, non esse futurum aliquod, quod certe eventurum speramus, quod ex multis caussis forsan diverti valeat; & contra.

Fortitudo, quæ metui, ac pusillanimitati opponitur, virtus est nos erudiens corporis, & animi mala cuncta, futura quidem non metuere, præsentia vero constanter tolerare. Fortitudo ab audacia differt, quod illa virtus sit, ex recta ratione, animique consilio proveniens; hæc vero à natura, unde & brutis etiam tribuitur. De dupli autem illo gravissimo metu, Numinis scilicet, & Mortis, qui omnem ab hominum animo voluptatem tollit, verba hic faciens, mirum quam impia, & stulta profert. Et Numinis quidem metum vanum esse hominum figmentum, ait, qui Numini eos tribuunt animi affectus, quibus ipsi obnoxii sunt: unde eos iræ, & gratiæ capaces effingentes, & pœnas timent, & præmia expectant. Hoc autem divinæ naturæ contrarium dicit, quod ipsa, ut summe felix, & beata in se, & de se sit, quieta, & nullis turbanda curis, vel fatiganda laboribus esse debet. Atque hinc educit, nullâ Deorum irâ, vel gratiâ, sed casu cuncta in mundo accidere: ac Deos proinde omnes venerandos quidem ob eorum majestatem, supremamque naturam, sed nec precandos, nec timendos. Mortis vero metus, qui omnes fere hominum mentes summe excruciat, vanus dicitur, quod mors nihil ad nos pertineat; quod sic probare conatur: Quicquid doloris, vel voluptatis in nobis est, à sensibus fit; sed sensus per mortem dissolvuntur, mors enim privatio sensus est; nulla ergo post mortem voluptas, neque dolor esse potest. Nec quid post mortem timendum docebat, pereunte cum corpore etiam anima. Neque timendam mortem tanquam dolorum maximum, dicebat, quod sperandum sit, aut nullum fore in morte dolorem, aut si sit, brevem fore. Tandem non timendam, quod sit cessatio a iis, quibus fruimur, voluptatibus; nam nequit hoc terrorem incutere, cum nihil vitæ supersit, in qua dignoscere valeas, esse non vivere quicquam malum. Præterquam quod non ille felix dicendus est, qui senex diem obiit, sed qui voluptatum plenus decessit.

Fortitudo adversus corporis dolores virtus sapientis propria est, qua omnes corporis cruciatus æquo, fortique animo superat, id potissimum perpendens, quod dolor omnis si longus levis, si magnus brevis esse soleat; sive & magnitudinem brevitas, & diuturnitatem levitas consoletur. Cogitat insuper sapiens, se nihil posse facere ea virtute, ac sapientia, quam profitetur, dignius, quam si dolori non succumbat, sed patientiâ hostem tam infensem superet. Sicut igitur prudentiæ est dolores omnes à corpore arcere, & ne accident, omni industria, & conatu præcavere; ita Fortitudinis est, cum jam casu, vi, vel natura acciderint, tolerare. Dolorem etiam levare sapiens poterit latus illis cogitationibus, quæ ex virtutum, sapientiæ, studiorum, inventorumque suorum jucundissima recordatione procedunt.

Eadem

Eandem Fortitudinem adversus animi ægritudines sapiens habere debet ; quas omnes non à natura , sed à propria opinione creari , Epicurus his rationibus probare contendit . Et quidem si à natura animi ægritudo esset , doleret animus ex amissione liberorum , famæ , vel peculii , etiamsi hæc nesciret amissa : si ergo animus æger non est , nisi ad hæc jam amissa animadvertis ; manifestum est , non à natura , sed ab animi adversione , sive opinione mali procedere ægritudinem . Accedit , quod ægritudo ob metum futuri mali à nihilo procederet , cum malum jam non extet , nisi tantum ab opinione veniret . Adde , quod si quis pater verum filium pro supposititio , & supposititum pro vero habeat , ex morte primi non dolebit , ex morte tamen secundi angetur : quod non natura , sed opinio tantum efficiet . Quibus adjiciam , multa esse mala , quæ nullam in animum ægritudinem inducunt ex hoc solum , quia non ut mala reputamus ; & stultum nullam pati animi ægritudinem , corporis tamen dolores sentire . Ex quibus clarissime educitur , corporis dolorem à natura esse , ac proinde difficilius esse , animum ab illius sensatione avocare ; animi vero ægritudines ab opinione præsentis , vel futuri mali creari : unde & facile sapienti sit mentem ab opinione illa , quæ animum maxime turbare solet , diducere . Ut autem sapiens mentem ab his opinionibus liberet , primum adversus fortunæ ictus se comparet : deinde cogitet , bona cuncta externa nec nimia contentione expetenda , cum non adsunt , nec magni facienda , cum adsunt ; nostra enim revera non sunt , sed fortunæ exinde bona dicuntur , quia pro fortunæ arbitrio & adesse , & abesse possunt . Provideat igitur sapiens , quid facturus sit , si fortunæ , vel aliis generis bona amittere contigerit : quod cum evenierit , non inani se mœrore conficiat , sed æquo ferat animo , id à fortuna repeti , quod non dederat , nisi commodato . Tandem si sapiens ex diurna bonorum fruitione opinionem illam prorsus expungere nequeat , ægritudinem saltem levet , avocando mentem à cogitanda molestia , & caussam illam inducente , & ea cogitando , quæ menti grata , & jucunda esse agnovit ; ut modo de dolore dictum .

Justitia , quæ homines societate neclit , & sine qua nulla diurna societas esse potest , virtus est , quæ ad alios dirigitur , nam unicuique quod suum est , tribuit , & ne ulli injuria fiat , præcavet . Per se , sicut & reliquæ virtutes , optabilis non est , sed quia voluptatem parit : Justitia enim animum tranquillum facit . Jus , seu Justum , à quo Justitia dicta est , naturale bonum est , & à natura ad ipsum expetendum ducimur . Naturalis igitur Juris est , ut homines invicem neque lædant , neque lædantur , sicque secure degant . Ex quo homines in societatem coire statuerunt , communia quædam jura sibi observanda fecerunt , ut nemo ipsorum alterum vel in rebus , vel in fama , vel in vita læderet ; si quis vero contra ficeret , lædentem punire omnibus jus esset . Ex quo igitur societas fuit , lex prima , & una fuit , ut quisque juribus tantum suis uteretur , aliena vero jura non violaret . Deinde tota societas suam illam injustos puniendi facultatem in unum , vel paucos , qui optimi , & sapientes essent , transtulit . Ex his deducit Epicurus , injustitiam non esse aliquid secundum se malum , sed malum quia contra communem societatis legem ; nam quod in una societate injustum est , in alia justum esse poterit , si nulla in ea lex sit , quæ illud prohibeat . Sapiens vero non ex legis metu justus esse debet , sed etiam si leges non essent , juste vivere . Si tamen aliquid acturi dubii hæreamus , bonus vir aliquis nobis eligendus , & ob oculos semper habendus , ut sic tanquam illo spectante omnia faciamus .

Beneficentia , Gratitudo , Pietas , Observantia , virtutes sunt Justitiæ affines ; ad ipsas enim non ex pacto inito , sed ex officio quodam Justitiæ fere simili tenentur homines societate juncti . Ad Beneficentiam nos compellat non

tam eorum, quibus beneficia præstamus, utilitas, quām nostra: si enim non præstemus, barbari, immitis, & inhumani nomen, ac, quod ad moleste vivendum aptum est, contemptum, & odium aliorum incurrimus; si contra præstabimus, benefici, liberales, humani audiemus, &, quod ad beatam vitam conducit, aliorum benevolentiam acquiremus. Qui vero beneficium accepit, ad Gratitudinem tenetur erga beneficium suum. Hoc autem nemo melius præstare novit, quām sapiens, qui benefacienti præfenti, & absenti, vivo, & vita functo, ejus etiam liberis, & amicis semper gratus est. Pietas etiam Gratitudinis sanctissima species est, quam erga parentes primario colere tene-
mur; nam si cæteris quidem alia debemus, parentibus tamen debemus nos ipsos. Secundo erga consanguineos, quibus parentum vinculo alligamur. Tertio erga Patriam, quæ nos nascentes excepit, natos aluit, ac defendit. Quarto erga concives, quibus patriæ nexus juncti sumus. Tandem erga Principes, & Magistratus, qui patriæ caput cum sint, ipsam repræsentant; & erga homines omnes, quibus natura, communi veluti matre, jungimur. Observantia demum nos edocet, eos omnes colendos, ac venerandos, qui vel natura, vel ætate, vel dignitate, vel sapientia supereminent. Hinc ad Observantium Epicurus refert Religionem, qua Deos colere tenemur, non quia ab ipsis bonum aliquod vel accepimus, vel expectamus; non quia malum aliquod timemus, sed quia natura, quæ æterna, & in se beatissima est, nos antecellunt.

Amicitia postremo omnibus societate viventibus necessaria virtus ad beate vivendum, & quæ securitatem, ac magnas vitæ parit voluptates, ex utili, & dulci ortum sumvit. Amici tamen cum delectu comparandi; hoc est, non querulos, difficiles, morosos, & suspectos parare oportet; sed qui candore, simplicitate, bona fide, morum probitate, alacritate suavem reddere vitam possint. Ante igitur videndum cum quibus edas, & bibas, quām quid edas, & bibas. Tales autem amicos esse oportet, ut diurna Amicitia sit, ut mutua inter ipsos participatio bonorum sit, & voluptatum: ex amicorum enim bonis capere plena fiducia amicus potest, non secus ac si sua sint; neque ad hoc necesse illud est, quod quidam putarunt, ut in communi amicorum opes deponantur, hoc enim diffidentium est, sed sufficit, si mutua, ac libera bonorum participatio sit. In mutua quoque voluptatum, & dolorum participatione vera consistit Amicitia; hoc est, verus amicus ille dicendus, qui ut de suo, sic de amici bono lætatur, de malo dolet; & quos labores ipse ad suam voluptatem obtainendarum sumserit, eosdem, & mortem ipsam, si opus sit, pro amici bono sumere paratus sit. Et ut verbo rem absolvam, vera, ac diurna Amicitia in mutua sincera dilectione consistit. Hæc autem Amicitia nonnisi inter similes esse potest; unde illud: *Amor similes aut invenit, aut efficit.* Quod & Horatius innuere vifus est, dum ait:

Oderunt bilarem tristes, tristemque jocosæ.

Tales porro sunt sapientes, quos eadem sapientia instruit, ac moribus similes reddit. Atque de Epicuri Ethica, omniq[ue] Philosophia hæc breviter dicta sufficient.

Pro hujus capititis coronide illud hic adnotabo, magnam inter scriptores faisse controversiam in decernendo quid Epicurus Η'δονῆς Voluptatis nomine intellexisset. Certum enim illud est, ipsum unicam actionum omnium caussam, ac vitæ finem in delectatione, ex bono, quo animus fruitur, posuisse. Hinc antiquorum plures, Stoici potissimum, affirmant, eum vel omnino, vel præcipue à voluptatibus corporis, quas cum bestiis communes habemus, summum bonum metitum fuisse; ac variis ejus voluminum locis probare satagunt, ipsum Voluptatis nomine eam tantum, quæ à sensibus provenit, significasse. Quod

con-

confirmare videtur Clem. Alex. 2. Strom. ubi de Democrito loquens subdit : *Ei autem Epicurus quoque assentitur , & quicumque in Voluptate , molestiæque , & doloris vacuitate bonum collocant . Clarius vero ibidem expressit , dum ait : Epicurus autem existimat , omnem effici letitiam ex carne primo affecta . Contra vero Laërtius , qui de Epicuro Apologiam confecit , Seneca , licet Stoicus , Divus Hieronymus , aliquique , quos refert Gassendus in ejus Vita , pluribus tum ex ejus doctrina , modò in Ethicis tradita , tum ex ejus frugali vita defunctis argumentis probant , Epicurum per hanc Voluptatem eam intellexisse , quam ex studiis , illustribusque actionibus habemus , ac sine qua ad nullas penitus virtutes contendenderemus , si in earum exercitatione , & adeptione Voluptas non esset . Ipsum igitur bonæ frugis Philosophum , in Deos , patriam , & parentes pium , in reliquos etiam beneficūm , gravem , temperantem , & solo pane , & aqua contentum tradiderunt , & laudaverunt ; cùm vero preciosius epulari voluisset , vini , caseique modico usum . Maledicūm in cunctos fuisse , ejusque maledicentiam Zenonem Epicureum imitatum tradunt . Et Plutarchus in lib. contra Epicurum affirmsat , ipsum tam magnifice de se sensisse , ut neminem præter se sapientem diceret , aut eos , qui è Schola sua prodirent .*

Inter præclaros ejus discipulos recensentur tres ejus fratres Neocles , cuius est adagium illud : *Occultus vive ; sive , ut Græca verba sonant , λαθε βιώτες , Delitesce vivens , Chæredemus , & Aristobulus ; Mus ejus servus ; tres ejus familiares , quos ex Epicuri contubernio magnos viros prodiisse apud Sen. Ep. 6. legitur ; Metrodorus scilicet Lampsacenus , qui pene alter Epicurus dicitur à Cic. 2. de Fin. c. 28. Polyænus , sive Philodemus à Laërtio dictus , Lampsacenus , Mathematicus , vir modestus , & amabilis , ut Cic. ait ; & Hermachus Mitylenæus , Epicuri successor ; hujus vero Dionysius ; & hujus Basilides ; aliquique , quos enumerat Laërtius in ejus Vita: ubi etiam Apollodorum Illustrem memorat , Zenonis Sidonii præceptorem , cuius Zenonis saepe Cicero meminit . Scripsit hic Apollodorus ad 300. tractatus varii argumenti , Epicurique Vitam . Præterea tres feminæ cum Epicuro philosophatæ sunt , Leontium , Themista , & Philænis . Nec pauci Romanorum huic sectæ se addixerunt , inter quos T. Lucretius Carus , Poëta Latinus , ex illustri Romanorum familia ortus , qui Athenas ad disciplinas comparandas à parentibus missus , Epicuream Philosophiam sub Zenone , & Phædro Epicureis edoctus , ipsam sex libris sub titulo *de Natura Rerum* heroico carmine conscripsit . Potu philtri amatorii , ipsi à Lucilia exhibiti , mortuus est anno æt. 42. vel 43. Olymp. 181. Cassius etiam , qui Cæsarem sustulit , & Petronius Arbiter . Epicureus fuit etiam Lucianus , amicus Celsi Epicurei , qui adversus Christianos scripsit ; & Maro , ut Voss. de Sect. c. 7. refert . Notandum postremo hic est , Epicureos , qui omnium Philosophorum maxime Christianæ Religioni opponuntur , dicere , quædam esse apud se arcana , & non permettere omnibus , ut ea scripta legant .*

C A P U T XVI.

De Secta Eclectica .

Cum nemo ex antiquis Philosophis omne verum perspicere , & Systema omnibus numeris absolutum invenire potuisset ; nova hæc Secta (si nova Secta dicenda sit , quæ nulla condidit nova in Philosophia dogmata) Alexandriae efflorescere visa est ; quæ ex eo quod optima quæque à Philosophis omnibus excogitata , recto judicio , delectuque excerpta , & in unum selegerit ,

Ἐκλεκτικόν Græcis, Latinis *Electiva*, & *Electrix* dicta est, ut interpretatur Liplius de Phil. Stoic. I. 1. & Vossius de Sect. Phil. c. ultimo. Et quidem cum in omnis sectæ dogmatis boni, malique aliquid mixtum sit, Cæsaris Augusti, & Tiberii temporibus, & paulò ante Laërtii ætatem, τρόπῳ οἰλίγῳ, ut ipse Laërtius ait, rectius sapere incipientes non pauci,

Nullius addicti jurare in verba magistri,
veritatem, ubicumque lateret, investigare cœperunt. Quod philosophandi genus, reliquis quidem præstantius, postquam summe laudavit ex Christianis Philosophis Clemens Alexandrinus I. Strom. p. 188. sic sectam hanc, cui additus erat, descripsit: *Philosophiam autem non dico Stoicam, vel Platonicam, aut Epicuream, vel Aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia; hoc totum selectum dico Philosophiam.* Hoc idem pluribus in locis commendatum à Platone legimus, cuius præ cæteris Philosophis magna in hac secta autoritas erat, præcipue vero in Gorgia, ubi ait: *Omnino non tam quis dixerit, sed quam recte dicatur, considerandum est.* Et Aristoteles, quem post Platonem magni faciebat Schola Eclectica, idem suadebat I. Ethic. 4. dicens: *Cum enim & viri illi (à quibus opiniones præconceptas accepimus) & veritas in precio nobis sit; religio tamen postulat, veritatem ut præferamus.* Et Galenus quidem ipse de se testatur, à parente admonitum, ne cui Sectæ se addiceret, sed omnes discendo, & judicando de omnibus laudem sibi quæreret: quod diligenter fecisse gloriatur. Imo & plures sui ævi medicos Eclecticos Philosophos fuisse refert. Quintilianus etiam Institutionum 3. 19. gloriæ sibi dicit, quod nulli sectæ se addixerit, hoc est, *Ἐκλεκτας* fuerit. Nec miretur fortasse quispiam, me inter Græcorum Sectas Eclecticam numerasse, quæ Alexandriæ primum orta, & exculta inter Barbarorum Sectas potius esset reponenda. Nam præterquam quod Græcorum plures Potamonis successores ipsam Alexandria Athenas advectam ad annos plurimos publice docuerunt, & sic Athenarum civitate donatam dicere æquum est; Secta hæc patria quidem Barbara, origine autem Græca dicenda est, quod ex Græcorum Philosophorum excerptis delectu doctrinis orta sit. Hæc tamen Secta Sanctissimæ Christianæ Religioni omnium maxime consona est, quæ scilicet ex singulis Philosophorum Sectis, quæ Fidei, rationique concordent, dogmata feligens, Christianum, ac undique perfectum Philosophum constituat. Hujus autem tam præclaræ, ac summe laudabilis Sectæ Autor extitit

P O T A M O N

Quem Alexandrinum Suidas, & Laërtius faciunt, quod Alexandriæ, quæ eo tempore ob studia, celebremque Ptolemaeorum Bibliothecam, eruditorum vel patria, vel Xenodochium erat, natus sit, ibique Scholæ præfetus fuerit. De Potamonis tamen historia nihil ad nos ex antiquitate manavit præter ejus mentionem, quam semel Laërtius in Procœmio, & bis Suidas facit, in loco scilicet, ubi de Potamone, sed paucis agit, & in explicatione vocis *Αἴρετος*, qui locus à Laërtio ad verbum desumtus est. Potamonis scripta duo numerantur, *Στοιχεῖωσις* à Laërtio memorata, quam Hesychius interpretatur *Διατύπωσις*, vel *Πρώτη Μάθησις*, *Delineatio*, vel *Prima Institutio*, in qua ipse Philosophiæ præcepta ex variis sectis decerpta collegit: alterum à Suida relatum *Εἰς Πλάτωνος Πολιτείας Τύπομυχα*, *In Platonis de Rep. librum Commentarium*; quod clare ostendit, Potamonem, ejusque sectatores Platonis doctrina præcipue delectatos. Hic autem finis Potamoni Electivam sectam instituendi occasionem dedit, ut scilicet Scepticismum, & Epicureismum confringat;

geret; quorum ille per suam *αναταληφσαν* & homines ad studia ignavos, impertosque reddebat, ac religionem nullam statuebat; hic vero impiis suis dogmatis religionem omnem funditus evertebat. Potamonis

SECTATORES ETHNICI.

QUAMVIS proprio loquendo, ut supra quoque innuimus, hoc philosophandi genus, ex quorundam eruditorum sententia, sectæ nomine insigniri non debeat, nec qui ipsum secuti sunt, sectatores appellari; placet tamen hic eos omnes, qui Potamonis mentem, exemplum, & vestigia sectati sunt, Sectatores nuncupare: quos in Ethnico, & Christianos dividere ordo est.

Ex Ethnicis Eclecticis illustres fuere Plotinus, Herennius, & Origenes (alter tamen ab Origene Adamantio, qui meritis, & erroribus in Ecclesia celebris fuit, ut testantur Valesius, & Huetius) qui condiscipuli cum essent Ammonii Saccæ (de quo, quum Christianus fuerit, inferius sermo erit) coniunctim vivebant.

PLOTINI vitam, & scripta prolixe narrat Porphyrius, qui refert, eum vixisse à decimotertio Severi Imperatoris anno usque ad annum secundum Claudii: anno ætatis 28. Philosophiæ operam dedisse: ac reliquis Alexandrinis Philosophis, animo tamen non satisfacto, auditis, annos 11. Ammonium Saccam audivisse: cum Imperatore Gordiano, ad Persas exercitum ducente, profectum, eoque in Mesopotamiæ finibus interempto, Romam venisse, ibique Eclectricam Philosophiam docuisse. Sed quia hic, propterea quod Philosophiam Romæ docuit, inter Romanorum Philosophos numerandus est; de ipso in sequenti libro redibit sermo; ubi etiam de Porphyrio, Jamblico, aliisque Romæ docentibus, iterum sermo erit. Inter ejus discipulos præcipui, & familiares ipsi fuere Amerius Tuscus, qui Amerius dici malebat, Paulinus Scythopolites, Eustochius Alexandrinus, Zothicus, Zethus Arabs, Castricus Firmus, Marcellus Oronius, Sabinillus, & Rogatianus Senatores Romani, Serapion Alexandrinus, & Porphyrius Tyrius, Malchus patria lingua dictus, deinde Porphyrius, quod veste purpurea propter nobilitatem uteretur, ut ait Suidas. Pertinacissimus hic Christiani nominis hostis fuit, quindecim scribens adversus nostram Religionem volumina, quibus deinde Methodius, Eusebius, & Apollinaris triginta Apologeticis libris responderunt. Porphyrius à Plotino emendandis suis scriptis præfectus est. De Porphyrii vita, & scriptis luculentam dissertationem edidit Lucas Holstenius. Plotini scripta in sex Enneadas à Porphyrio digesta Græce, & Latine edidit Marsilius Ficinus Basileæ a. 1580. De Herennio non nisi Porphyrius mentionem facit.

ORIGENES Ammonii discipulus, an unus Adamantius fuerit, inter Christianos celeberrimus, an alter præter ipsum, qui Plotini, & Herennii contubernalis, quæstio est inter autores. Adamantium autem Ammonii discipulum extitisse, Porphyrius, Eusebius, Nicephorus, & Suidas clarissime testantur. Unum quidam fuisse affirmant; Valesius tamen in Annotat. ad Euseb. Hist. & Huetius Origenian. l. 1. c. 1. validis argumentis evincunt, duos distinctos fuisse Origenes.

PORPHYRII discipulus fuit Theodorus Asinensis, & Jamblichus Chalcidensis ex Cœlesyria, qui Constantini, & Juliani ætate maxime floruit. Hic ab Eustathio Μεγας Φιλόσοφος, Magnus Philosophus appellatur; ab Eunapio, qui ejus historiam cum reliquorum Philosophorum vitis descripsit, Φιλόσοφος ὁ νομίζαντας, Philosophus maximi nominis, & θαυμαστός, & διδάσκαλος θαύτας, admirabilis, & divinissimus doctor; & à Proclo οὐαὶ Ιαμβλιχος, divinus Jam-

blicbus

blichus nuncupatur. Secundas post præceptorem Romæ obtinuit. Scripta ejus hæc præcipue narrantur: *Vita Pythagoræ* (unde & Pythagoricus creditus est; verum Eclecticam professus est, quam ex Pythagorica, Ägyptiaca, & Platonica ornatam magis reddere conatus est) *Abortiones ad Philosophiam: De communi Mathematica scientia: In Nicomachi Geraseni Arithmeticam Introductio: De Mysteriis Ägyptiorum: Collectio Pythagoricorum dogmatum.* Discipulos habuit præclaros, in quibus Eclecticæ Scholæ successio conservata fuit, Sopatrum Syrum, Ädesium, & Eustathium Cappadoces, cuius posterioris conjux Sosipatra, Chaldaicæ sapientiæ mysteriis initia, virum quoque eruditio- ne superasse dicitur; atque Theodorum, & Euphrasium Græcos, quos omnes recenset Eunapius.

ÄDESII discipuli extitere Antoninus, Sosipatræ filius, qui Alexandriæ usque ad Theodosii tempora Eclecticam professus est; Chrysanthius Sardianus; Priscus Thesprotius; Eusebius Myndius, & Maximus. Imperator quoque Julianus partim ab Ädesio, partim ab ejus discipulis institutus, qui & Jamblichī etiam discipulus dicitur à Gregorio Nazianzeno. Orationem ad *Regem Solem* Julianus composuit, Eclectica Philosophia refertam. Chrysanthii discipulum se fatetur Eunapius, qui post Theodosii imperium floruit. Deinde apud Alexandrinos floruere Syrianus, Hierocles, Plutarcho Athenis philosophanti coævus, & Olympiodorus, Hieroclis coætaneus, & in Procli præceptoribus clarus. Sunt qui Olympiodorum Peripateticum faciunt. Hujus meminit Suidas. Scripsit Commentaria in Aristotelem, & Platonem. Vide Jonsium de Script. Hist. Phil. 3. 18. Atque in his Eclectica Philosophia Alexandriæ finem habuit, quam deinde Alexandriæ Athenas ad vexit.

SYRIANUS patria Alexandrinus, non Gazæus, ut putavit Jonsius, Jamblichī discipulus, qui Athenas adveniens sub Plutarcho Nestorei filio, Platonicam Philosophiam ibi docente, multum in ea profecit; quam deinde Syrianus cum Orphei, & Pythagoræ Philosophia componens, Eclecticam fecit, ac professus est sect. 5. Ipsi Suidas tribuit lib. 10. *de Orphæi Theologia, & de Oraculis, & consensum Orphæi, Pythagoræ, & Platonis;* licet alibi idem Suidas eos libros Proclo, Syriani discipulo tribuat. Athenis Philosophiam docuit, Platonii præ cæteris addictus. Vixit sec. 5. Scripsit in totum Homerum Commentarios; in Remp. Plat. atque alia. In discipulis Syriani à Damasco laudatur Hermias Alexandrinus, cuius uxor Ädesia, cognata Syriani, Philosophiæ studiis etiam incubuit. Idem Damascius, Suidas, & Marinus in Vita Procli c. 26. Syriani discipulis, adnumerant Domininum Syrum, Lycium, &

PROCLUM Philosophum, & Mathematicam insignem, natum, ut vir clar. Joh. Albert. Fabricius notat, 8. Febr. A. C. 412. mortuum vero a. 487. Præter Syrianum, Plutarchum etiam Athenis brevi tempore, & Olympiodorum Alexandriæ audivit. Vitam, & scripta Procli prolixius examinavit Marinus, quem vide. Syriano in Atheniensi schola successit. Christianos peculiari scripto impugnavit. Quare de ipso Gul. Cave in Chartophylacio sic ait: *Hic est ille Proclus (inquit Suidas) secundus à Porphyrio, qui impuram suam, & contumeliosam linguam adversus Christianos excavuit. Sed adversus hunc calamum feliciter strinxit Job. Philoponus.* Vide etiam Vossium de Mathem. p. 165. & de Nat. Logic. p. 70. Franc. Bacon. Nov. Organ. l. 1. Aphor. 96. Zonar. in Annal. Casaub. in Not. Spartan. Petr. Ram. Schol. Math. &c. Ejus scripta Latine redididerunt Franc. Patric. Ämil. Port. & Leo Allatius. Inter innumeros Procli discipulos præcipui fuere Heliodorus, & Ammonius, Hermiæ filii, & ejusdem Procli apud Syrianum condiscipuli; Hierius Plutarchi filius, Asclepiodotus, Zenodotus, Severianus, Ulpianus Gazæus, & Marinus Vitæ Procli autor, & in

& in Schola successor, natus Flavia Neapoli, urbe Samariæ prope montem Garizim. Ex Marini discipulis unus Agapius à Suida memoratur.

MARINO in Schola successit Hegesias; huic vero Isidorus, primū quidem Procli, deinde vero Marini auditor. Isidori successor fuit Damascius Damascenus, ejus quoque, & Asclepiodoti discipulus, qui Justiniani Imperatoris ætate floruit, ut Agathias refert Hist. l. 11. ubi ipsum inter celebres sui ævi philosophos recenset. Hunc Suidas Syrum fuisse narrat, & inter Stoicos numerat; aitque, scripsisse Historiam Philosophorum; quæ etiam Vossi sententia est l. 2. Hist. Græc. c. 22. Isidori Οὐλαῖται, familiares, seu discipuli fuere Simplicius, & Eulalius, ambo Phryges. Johannem etiam Philoponum inter Ammonii discipulos refert Jonsius. Et de Eclecticis Ethnicis satis.

ECLECTICI CHRISTIANI.

Inter Christianos, qui Potamonem sestatim sunt, primas sibi vendicat AMONIUS, cognomento SACCAS, quod mercibus ex portu Alexandrino comportandis victum sibi quæsiverit. Hic circa Imp. Commodi tempora vivens partim aliquem ex Potamoniis discipulis audiendo, partim ejus scripta, apud Alexandrinos tunc minime obsoleta, legendō, Eclectricam didicit, quam deinde Alexandriæ publice docuit. Hierocles de Provid. apud Photium p. 549. ipsum divinitus edoctum, ejusque sapientiam orbi tunc illuxisse, prædicat, cum homines contendendi studio magis, quam veritatis inquirendæ amore philosophabantur. Ejus laudes, & doctrinam vide apud Ammian. Merc. lib. 22. fin. Suid. v. Ωργει. & cit. Phot. loc. Eusebius, & Hieronymus Ammonium summe laudant, & inter Ecclesiasticos Scriptores numerant: scripsit enim, referente Eusebio, librum *de Conformatitate Mosis cum Iesu Christo*; & præclaram illam *Harmoniam Evangelii*, qua magno labore, & studio probare conatus est, Evangelistas Monotessaron efficere, hoc est, ex quatuor Evangelistis unum, & conforme Evangelium fieri. Ex hoc opere Eusebius suos *Canones Evangelicos* composuit. Autores quidam putant, hanc *Concordantiam Evangelistarum* eandem esse cum ea, quæ sub Titiani nomine circumferuntur: sed hoc non adeo verum est. Quæ autem sub ejus nomine Bibliothecæ PP. inserta legitur, neque ipsius, neque Titiani creditur. Vide Morery sup.

TITUS FLAVIUS CLEMENS patria Alexandrinus, vel saltem, si Atheniensis, ut probabilius quibusdam vifum, Alexandrinus dictus, quod Alexandriæ diu vixerit, ibique Eclectricam Philosophiam, ac Christi doctrinam dicerit, & docuerit; circa finem secundi Seculi floruit, vel circa principium tertii sub imperio Alexandi Severi, ejusque filiorum Getæ, & Caracallæ. Græciam, Italiam, Orientales plagas, Palæstinam, & Ægyptum, ut ipse de se testatur, peragravit ad veritatem, cuius amore tenebatur, cognoscendam. Postremo Pantæni, Alexandriæ inter præceptores omnes Christianos celeberrimi, auditor fuit, cui in Scholæ regimine successit, Alexandrinæque Ecclesiæ Presbyter creatus est. Eum quidem Stoica Philosophia animum primo imbuuisse, tradit Eusebius H. E. 5 10. forte quod Stoicorum doctrinas, maxime ad hominum mores spectantes, ut Hieronymo Comment. in Ep. 11. observatum, propius ad Christianæ disciplinæ severitatem accedere animadverteret. Deinde vero ex reliquorum Philosophorum lectione, quæ Religioni, ac rationi consona essent, feligens, Eclectricam professus est; sicque veritates, quas ex uno Philosopho derivare non licebat, ex omnibus conquisi vit. Mos tamen ipsi erat, neminem in Christiana disciplina instituere, nisi

prius Philosophiæ dogmatis imbutum, quæ *Terram præpararent bono Evangelii semini recipiendo*. Magnus hic inter Christianos Philosophus scripta eruditione omnigena refertissima plura reliquit, ex quibus majorem ille gloriam consecutus est, quām ex elogiis, quæ affatim in ipsum veteres contexere. Præcipua ejus opera sunt: *Protrepticon*, sive *Oratio Exhortatoria ad Gentes*: *Pædagogi lib. 3.* & *Stromatum lib. 8.* Quos omnes Tractatus è Græco in Latinum vertit Gentianus Hervetius. Alia scripsit Ecclesiastica Opera, quorum elenchum, & crisim una cum Vita vide in Biblioth. Univers. t. 10. Gul. Cave, qui ejus scripta genuina, quæ extant, & quæ non extant, & supposititia enumerat. Hieron. de Script. Ecclesiast. de Clem. Alex. hæc habet: *Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditio[n]is, & eloquentiæ, tam de scripturis divinis, quām de secularis literaturæ instrumento*. Casaubonus in Exercit. 1. ad Baron. Appar. p. 2. ipsum *inexhaustæ doctrinæ virum* appellat: Scaliger scriptorem eruditum: Lips. de Stoica Philos. Pararium, & conciliatorem *Divinæ, & Humanæ Philosophiæ*: Blondell. in Apolog. pro sententia Hieron. de Episc. & Presbyt. *Virum sanctitatem, & omnimoda eruditione præstantem*. Vide etiam ejus elogia apud Euseb. Præp. Evangel. l. 2. Cy. rill. Alexandr. l. 10. in Julianum. Lips. Manud. ad Stoic. Philos. l. 1. dissert. 17. Dall. de vero usu Patr. c. 5. Illyric. Catalog. Test. Veritatis. Du Pin in Nova Biblioth. Aut. Ecclesiast. Bellarminum, atque alios. Ipsi tandem ex persecutione Alexandriam relinquere coacto, in schola successit

ORIGENES ADAMANTIUS ejus primūm discipulus, deinde Ammonii Saccæ, inter Eclecticos Christianos insignis, dictus Adamantius, quod ejus sermones adamantis instar fortis essent, ut ait Photius, sive quod erroribus fortis ut adamas resisteret, ut Divus Hieronymus afferit; sive ob ejus infatigabile studium, ut alii: natus est Alexandriæ A. C. 186. & Leonidæ martyris patris sui cura in Philosophiæ, Theologiæ, ac potissimum Sacrorum Bibliorum studiis adeo profecit, ut ipsum cit. Hieron. *Magnum ex infantia virum appellaverit*. Eclecticam Philosophiam & in scriptis suis expressit (quorum Catalogum exacte confecit Eusebius; & Divus Epiphanius, & Rufinus ad sex millia afferunt ascendisse) & in discipulos suos, quorum vasta nimis Alexandriæ, & in aliis Orbis partibus, multitudo erat, transfudit.

Quum Celsus, Philosophus Epicureus, qui seculo 2. sub Adriano vixit, opus contra Christianos scripsisset, cui titulus *Sermones Veri*; Origenes ipsi respondit octo illis libris, suorum omnium pulcherrimis, qui inscribuntur *Contra Celsum*. Hic idem Celsus est, cui à Luciano *Pseudomantis* dedicatus est.

Alexandriæ enim Presbyter, & Scholæ Catechetice Magister floruit a. 230. A Demetrio a. 233. Alexandriæ pulsus, obiit Tyri a. 254. Opera ejus genuina, præter supposititia, & dubia, innumera fere sunt. Athanasius Origenem fidei suæ testem locupletissimum vocat. Sixt. Senensis: *Vir tantæ eruditio[n]is, & ingenit, ut ei parem doctissima Græcia, felicissimorum ingeniorum parens, nunquam habuerit*. Sulpitius Severus afferit, eum in illa parte, quæ probatur, neminem post Apostolos habuisse æqualem; in ea vero, quæ jure reprehenditur, neminem deformius errasse. Hieronymus quamquam satis acerbe in eum invehitur, tamen maxime admiratur ejus eruditio[n]em; eundemque prædicat *Sacrorum omnium expositorum victorem*. Card. Bonaventur. 3. Lection. Memorab. ait: *Hic amore castitatis se castravit; Novum, & Vetus Testamentum memoriter novit; jam senex Hebraicam linguam didicit.*

cit. Vide etiam Petr. Cun. de Rep. Hebr. p. 294, & 295. Erasmus Epist. I. 2. Epist. 26. Konig. Theodorum Bezae Epist. 28. Bellarm. de Script. Eccl. Dall. de usu Patr. I. 1. c. 1. Du Pin Nov. Biblioth. Aut. Ecclesiast. tom. I. &c. Celebre denique de eo vetustatis judicium est: *Origenes ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus.* Quot labores pro Fide Orthodoxa pertulerit, quot Hæreticos confuderit, quot ab erroribus liberaverit, ejus denique vitam, scripta, & laudes legere est apud autores plurimos, qui de ipso, insignique ejus doctrina locuti sunt; præcipue apud doctissimum Huetum, qui ejus *Commentaria in Sacra Biblia*, & *Vitam* edidit a. 1668. Ex ejus discipulis illustris fuit, ab erroribus tamen omnino immunis, magnus ille Theodorus appellatus, deinde vero

GREGORIUS THAUMATURGUS, sic dictus propter Θαυματοργόν, Miracula, quæ maxima, & frequenter faciebat, qui natus est Neocæsareæ, cuius & Episcopus factus est, vixitque seculo III. Moriens 17. Novembris ann. 265. id magno sibi gaudio duxit, quod cum 17. tantum Christianos Episcopatum ingrediens in ea urbe invenisset, in morte 17. tantum Idololatras in ea reliquisset. Hic refert, in Orat. Panegyr. ad Origenem, ita se cum condiscipulis suis in Philosophia ab Origene institutum fuisse, ut omnia, quotquot extant, veterum tum Philosophorum, tum Poëtarum scripta colligentes, nihil omnino rejicerent, nihil repudiarent, præter ea, quæ impiorum hominum essent, & profanorum. Cæterum omnia evolvi, legique sic oportere, ut nec genus ullum, nec liber, vel sermo præferatur, nec contra rejiciatur siue Græcus, siue Barbarus, sed omnes audiantur. Hinc concludit cit. Huet. non tam Platonicum, vel Pythagoricum, quam Potamonicum dici Origenem debere.

Præter Origenem, & Gregorium, plurimosque eorum discipulos, hoc philosophandi genus alii quoque Ecclesiæ Patres secuti sunt, ex quibus quarti Seculi unus Lactantius sufficiat, qui Eclecticam maxime commendat Div. Instit. I. 2. c. 8. inquiens: *Quare cum sapere, id est veritatem querere omnibus sit innatum, sapientiam sibi admunt, qui sine illo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur &c.* Et Instit. 7. 7. Docemus, nullam Sectam fuisse tam deviam, nec Philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Et post pauca: *Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto non dissentiret a nobis &c.* Eclectici quoque fuere Ammonius, Plutarchi magister, qui temporibus Neronis, & Vespasiani vixit, ideoque ab Ammonio Sacca, & Ammonio Aristotelis interprete distinguedus; & Sotion, Senecæ præceptor, ut ipse Sen. testatur Ep. 49. inquiens: *Modò apud Sotionem Philosophum puer sedi; quem etsi Lips. in Manud. ad Stoicam Philosophiam I. 1. c. 12. Stoicum faciat; quia tamen Sen. ep. 58. ait: Non pudebit fateri, quem mibi amorem Pythagoræ Sotion injecrit; hinc colligitur, ipsum Eclecticum fuisse.*

DE LUCIO-COELIO LACTANTIO FIRMIANO hæc addenda. Natus creditur ab aliquibus in Piceni oppido, quod Firmum dicitur, unde & Firmianus appellatus; aliis vero Africanus audit. Floruit in fine tertii, & principio quarti seculi. Omnium sui ævi eloquentissimus fuit, quare & Cicero Christianus dictus est. Constantinus Imperator ipsum Filii sui Crispi Cæsaris præceptorem quæsivit. Divus Hieronymus, eum pauperrimum fuisse, refert. Plura scripta reliquit, in prosa æque, ac versu elegantia; quorum præcipuum illud est, quod contra Philosophos, Christianæ Religionis hostes, confecit, ac Institutionum libros vocavit. Vide Divum Hieron. in Chron. A. C. 317. atque in Ep. 13. ad Paulinum, ubi eum dixit *Fluvium quasi quendam Tullianæ eloquentiæ.*

Joh. Franciscus Picus Mirand. l. 3. Epist. 10. *Lactantius Ciceronis stylum effigieavit, aut, ut quibusdam placet, supergressus est &c.* Confer etiam Bellarm. de Script. Eccles. Du Pin Nova Biblioth. Autor. Ecclef. t. 1. Thomam Pope Blount in *Censura celebr. Aut. & Gul. Cave in Vita &c.* Et de Eccliticis satis.

ECLECTICORUM DISCIPLINA.

CUM Eclecticæ Sectæ peculiare id fuerit, ut omnium Philosophorum doctrinas ad examen revocaret; præcipuum ejus in Logicæ præceptis studium fuisse, certum est; qua duce, quod rectæ rationi consonum esset, dijudicare posset, & rectum dijudicatum amplecti. Omnis igitur Eclecticorum cura, & studium erat, ut in examinandis aliorum sententiis non deciperentur, sed vera à falsis, ratione duce, discernendo, sine mentis anticipatione, vel præoccupatione, nonnisi recta probarent, & tuerentur. Ad veritatem autem cognoscendam duo Potamon ex Laërtio, & Suida, Criteria statuit; alterum quidem à quo judicium fiat, atque hoc τὸ Ηγεμονικὸν, *Animi Principatum*, sive *Mentem*, vel *Rationem* esse dixit; alterum vero per quod judicium fiat, quod ἀξιοβεστὸν τὸν φαντασιῶν Accuratissimam imaginationum, decrevit. Aut igitur aliquid clare, & distincte cognoscitur ἀπὸ τὸ Ηγεμονικόν, à Mente, sive Ratione, atque id verum erit: aut clara, & ἀξιοβεστὴν, hoc est, accuratissima, & exquisitissima impressio in mentem per sensus facta, & objectum repræsentans, talis à mente judicata fuerit, & vera quoque hæc erit.


In Physicis Potamon, ut ex cit. Laërt. & Suid. duo rerum naturalium *Principia* posuit, *Agens*, & *Patiens*, sive *Causam effectricem*, & *Materiam*. Affectiones vero corporum naturalium duas agnoscebat, *Qualitatem*, & *Locum*. De singulis enim rebus naturalibus hæc quæri possunt, ex quo sint, quod ad materiam spectat; à quo sint, quod spectat ad causam effectricem; quomodo se habeant, id est, quæ sint eorum qualitates; & tandem in quo sint, sive quis sit eorum locus.


In Ethicis *Finem*, ad quem omnia referantur, dicebat esse *Vitam omni virtute perfectam, non tamen absque bonis corporis, atque externis, quæ tamen virtuti convenienti*. Virtutes quatuor Cardinales dictas, *Temperantiam, Justitiam, Prudentiam, & Fortitudinem*, Eclecticī variis gradibus distinguebant; eas enim vel ut Physicas virtutes in corpore, ejusque apta temperie spectabant; vel ut Ethicas, & Politicas, quales sint in viro honesto; vel ut Purgativas, quales sint ejus, qui, animo per Philosophiam purgato, ad sublimiora contendit; vel ut Theoreticas, quales sunt animi in contemplatione beati: quibus alii Theurgicas addunt, quibus miracula patrarent: & denique Divinas, quibus humana fors excederetur. De quibus omnibus fusius Jamblichus, Plotinus, Porphyrius, Hierocles, Marinus, Simplicius, atque alii; & novissime eruditissimus Jo.-Albert. Fabricius P. III. Prolegom. ad Marini *Vitam Procli*.

Pro hujus Capitis, & Libri coronide notandum hic est, non unum, atque omni ex parte cohærens Eclecticorum Systema fuisse, cum alter uni, alteri alter magis adhæserit; in eorum tamen doctrina fere semper prædominatur Platonica, Stoica, & Pythagorica sapientia, multis etiam ex Chaldaicis, Ægyptiacis, & Christianis admissis. Et ex Christianæ quidem doctrinæ fonte manarunt, quæ Jamblichus, Porphyrius, Proclus, atque alii de sensuum fuga, affectuum προσηλθσις, crucifixione, mentis elevatione in Deum &c. adeo luculentē scripserunt.

Atque

Atque de Eclecticorum , Græcorumque omnium Philosophia hæc bre-
viter dicta sufficient . Quam quidem vastam nimis materiem diffusissime
à plerisque tractatam non ignoro ; verum Historicæ hujus Synopsis ordo,
& ratio id postulavit , ut ipsa eadem , qua cætera , brevitate tractando,
non omnia , quæ hac de re ab aliis plurimis , sed tantum ~~adsummatis~~ ,
scitu scilicet necessaria , scripta sunt , hic digererem , aliisque ob oculos po-
nerem consideranda .





L I B E R IV.

De Philosophis Recentioribus.

DURUM, ac perdifficile opus, & omnibus intentatum adhuc, aggredior. Quæ enim tribus superioribus libris sive de Philosophia, ejusque Origine, sive de Barbarica, sive de Græcanica Philosophia tradita sunt, ab autoribus, qui plurimi ea de re scripserunt, non mediocri quidem, sed ad proportionem minori labore carptim selecta perscripsi. Sed Philosophos omnes, qui ab V. C. ad nos usque in Latio, & Europa fere omni & dicti, & habiti sint, annumerare, labor profecto arduus est. Pro virili tamen id efficiam, ut quotquot Philosophia inclaruerunt per edita, opera illustres Viri, ac quorum memoriam ad nos majores nostri tot libris transmiserunt, breviter, & quoad potero, clare & ordinatim in medium adducam. Quod si quis eorum, qui Philosophi nomen meruere, me effugerit; id non voluntatis proposito fiet, sed meæ ejus nominis, & doctrinæ ignorationi prudens lector ignoscat. Expertus enim didici, ac certo certius cognovi, quod vir cæteroqui doctissimus, mihique familiaris summe colendus, prædixerat; me scilicet majorem in Philosophis nostræ ætati propioribus perquirendis, quam remotioribus indicandis, difficultatem passurum esse. Atque hinc factum est, ut in hujus operis Procœmio statuerim, in quarto hoc Philosophiæ Historiæ libro nonnisi de Philosophis vere Recentioribus, ac nova philosophandi ratione pertractare. Sed re melius pensitata, ne Opus imperfectum prodiret, de Philosophis omnibus, qui post Græcos primum Romæ, ac deinde in plerisque omnibus Europæ regionibus inclaruerunt, differere statui: sicque Philosophiam ordinata serie, ac veluti catena quadam, si ita dicere fas est, ad nos diductam ostendere; atque ut à Philosophis Philosophi, ab Hebræis scilicet Barbari, à Barbaris Græci, à Græcis denique Latinis ipsam habuerint. Latinorum autem nomine non eos tantum hic intelligo, qui in Latio orti sunt; sed eos omnes, qui Latina lingua, vel literis, longe jam, lateque diffusis, usi sunt. Ex dictis facile quis educet, non mihi vertendum vitio, quod Recentioribus Philosophis Romanos adnumerem, qui vel primis ab V. C. annis florentes, Græcorum Philosophorum multis coævi fuerunt, multos etiam ætate præcesserunt; nam præterquamquod Historiæ nexus, & ordo id postulabat, ut post Græcos Romanos ponerem, qui à Græcis Philosophiam, Jurisprudentiam, & scientias omnes mutuati sunt;

non

non h̄c tam temporis series , quām Philosophiæ attenditur derivatio . Accedit , quod Recentiorum nomen Romanis omnibus , et si antiquissimis , etiam competit , quia in scientiis fuere Græcis Recentiores .

C A P U T I.

De Philosophis Romanorum.

Nemo est , qui ignoret , Romanos omnes , ut modō etiam dictum , vel Athenas adeuntes , vel Romæ commorantes , à Græcis fuisse in Philosophia , reliquisque scientiis institutos . Multi enim ex Græcis , Philosophis potissimum , Romam , quæ per tot partas sibi victorias totius ferme Mundi domina habebatur , confluabant , ac docebant ; atque Imperatores etiam in discipulos habebant . Hinc notandum h̄c velim , me Romanorum Philosophos appellare non solum eos , qui Romæ , vel in Latio orti , verū etiam eos omnes , qui Athenis , atque ex aliis Orbis Civitatibus venientes , ibi Philosophiam professi sunt : quos eo , quo fieri poterit , ordine subnectemus .

NUMA POMPILIU S SECUNDU S
ROMANORU M REX.

ROMULO , primo Romanorum Rege , & Patre , repente sublatto , interregnum anni unius Romæ fuit , hoc est , regnarunt Patres , & interreges per vicissitudinem decuriarum Reipublicæ præfuerunt , eo ordine , quem Liv. , & Plut. in Numa referunt , data singulis Patribus interregia potestate quinque dierum tantum , quibus exactis , alter iterum creabatur interrex , ut observat Minellius in notis ad Numam L. Flori . Aliter tamen Plut. in Numa , ubi : *Comparant inter se centum quinquaginta Patres , ut loco Quirini singuli vicissim cum insignibus imperit solemnia sacra obirent , & ius dicarent senis horis nocturnis , & senis diurnis &c.* Sed orta inter Peregrinos , hoc est , inter Sabinos , qui Romanis juncti erant , & Romanos veteres dictos , qui Urbem cum Romulo condiderunt , de novo Rege creando seditio est ; nam utraque gens Regem ex corpore suo creari postulabat . Et Sabinorum quidem plena æquitatis ratio erat , quod , extincto Rege suo Tatio , non insurrexisse adversus Romulum , sed regnare unum permisissent ; unde & Regem vicissim eligendum petebant . Contra verò Veteres Romani hoc concedere recusabant , ne recepti in Civitatem receptoribus imperare molirentur . Ut autem tanta lis componeretur , convenit inter utramque factionem , ut altera Regem ex alterius corpore crearet ; putantes , eum , qui creatus esset , sic fore æquabilem utrisque , quod his , qui ipsum creassent , esset ob beneficium devinctus , illis verò faveret ob necessitudinem . Cumque Sabini Veteribus Romanis electionem permitterent , maluerunt ipsi Regnum Sabino deferre , quām accipere Regem ex illorum suffragiis Romanum . Ita re inter se deliberata , Romani Regem ex Sabinis creant Numam Pompilium , virum , qui Romam nunquam commigraverat . Verum adeo erat inclita apud omnes ejus virtus , & fama , ut auditio ejus nomine , majore plausu Sabini , quām illi , qui detulerant regnum , acciperent . Ubi renunciaverunt in concione quem disserint Regem , primores utriusque factionis ad eum oratum , ut ad regnum suscipiendum veniret , pariter mittunt . Numa Curibus , quæ opulentissima , & celeberrima Sabinarum urbium (ex qua Romani cum receptis Sabinis se Qui-

Quirites appellarunt, quasi Curites) natus est ex patre Pomponio Pompilio, illustri viro, ex quatuor suis fratribus natu minimus, & miro quodam casu eadem genitus die, qua Romulus Romam considerat, quæ est undecimo Kal. Majas. Uxorem habuit Tatiam, Tatii Regis, & Romuli in regno consortis, filiam unicam. Doctrinam, tolerantiam, justitiam, sapientiam, virtutem omnem, & inclytam in Deos religionem summo studio excoluit. Cum autem in lucis deorum, sacrificisque pratis, ac solitudinibus, urbana vita relista, plerumque degeret; hinc orta fama est, ipsum ex Deæ, seu Nymphæ Egeriæ congressu, atque consuetudine vitam beatam adeptum esse, & religionem Deorum, rerumque divinarum scientiam hausisse: Egeriam autem dictam voluit Festus ab egerendo, quia ipsi sacrificabant prægnantes, quod eam putabant facile fætum utero egerere. Istam Egeriam deinde Numa in regem assumtus consulere sese super cultu religionis, & cæremoniarum simulabat, ut populum superstitione captum ad ea, quæ commentabatur, faciliorem redderet. De hoc Numæ commento vide Liv.l.i. Plut. in Numa, aliosque. Hæc Numæ antequam Rex crearetur, vita fuit, ocii, pacis, & literarum studiis semper amica. Unde, Romanis Patribus regnum sibi deferentibus, accipere recusavit; orationemque ad eos habuit, qua recusationis caussas exposuit: quarum potissima ea fuit, quod Romani armis, belloque adfueri, ardentem potius, & vividum Regem exoptarent, qui belli dux esset, & fautor, quam sedatum principem, honesti, rectique cultorem ad civitatem legibus, ac pace temperandam. Sed repudian-tem regnum Romani majorem in modum precari, obtestarique conati sunt, ne eos iterum in seditiones, & civile bellum injiceret, cum alium, in quem consensura utraque factio esset, non haberent. Non igitur parvi negotii res fuit, sed multæ persuasionis, & contentionis opus, ut ipsum à tenaci proposito dimoverent; ac sententiam flesterent, ut tranquillam, quietamque vitam, quam peramabat, ac Græcorum Philosophorum more opibus, regnisque præferebat, deponens, imperium acciperet civitatis, in bello licet quasi natæ, & adultæ. Patri etiam, Martioque propinquo ad suadendum adhibitis, ut oblatum sibi imperium, tamquam ingens, & cœleste donum recipere, re-pondit, omnem vitæ conversionem lubricam homini esse. Orationem tum Numæ regnum recusantis, tum patris recipere suadentis, lege apud Plut. in Numa. Tandem cum fausta prodigia, ut fertur, tum ejus civium, ut re-gnum acciperet suadentium, studium, contentio, preces accesserunt, ut in eam sententiam descenderet. Quare facta re divina, Romam profectus est. Prodiit ei obviam senatus, populusque ingenti animi lætitia, & plausu; ac feminæ eum festis acclamationibus exceperunt. Ad sacras ædes hostiæ cæsæ: ac ea omnium fuit hilaritas, ut non civitas Regem, sed regnum excipere vi-deretur. Omnium suffragiis Rex appellatus, Capitolium, collem Tarpejum tunc vocatum, ascendit; nec delata sibi regni insignia recipere voluit, sed sustinere jussit, donec Deos de regno consuleret. Quare Princeps Augurum eum capite velato ad meridiem convertit, atque à tergo assistens, dextra in capite Numæ imposta precatus est, ut diis signa aliqua darentur: quod ex vo-to accidit; nam secundæ, & faustæ aves conspectæ rem confirmarunt. Tunc Numa regia veste indutus ad populum descendit; & omnium plausu, Pa-trumque complexu, ut vir religiosissimus, & sanctissimus exceptus est.

Primum Numæ studium fuit æstuantem civitatem, civesque pugnacissi-mos, ac belli cupidissimos, injecto deorum metu, domare, eorumque spi-ritus religione reprimere, & ad pacem reflectere. Inde sacra, & cæremonias omnemque cultum Deorum immortalium docuit: Pontifices (quorum ipse Maxi-mus) Augures, salios, cæterosque per sacerdotia instituit: annum quoque in duo-

duodecim menses, dies fastos, nefastosque descripsit. *Ancilia*, atque Palladium, secreta quædam imperit pignora, Janumque geminum, fidem pacis, ac belli; in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit; ut ad simulacrum cœlestium siderum, custos imperii flamma vigilaret. Hæc autem omnia quasi monitis Deæ Egeriæ, quò magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum rededit, ut, quod vi, & injuria occupaverat imperium, religione, atque justitia gubernaret. L. Ann. Flor. de Numa. Notandum autem hic ad claram dictorum intelligentiam ex Minellio in not. ad dictum Flori locum, salios sic dictos à saliendo, sive saltando, fuisse sacerdotes duodecim Marti Gradio dicatos, qui, teste Liv. 12. Ancilia ferentes cum saltibus, atque tripudiis Urbem circumibant. Fastos, Nefastosque dies sic clare descripsit Ovid. 1. Fast.

Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:

Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Erant etiam Romanis dies Comitiales, & Intercisi; quos omnes, cum mei instituti non sint, & quia cunctis noti, prætermitto. *Ancile* est scutum breve, & rotundum; de quo Virg.

- - - *Lævaque ancile gerebat. Dictum autem volunt Ancile sive ab ancisone, quod sit ab omni parte ancisum & rotundum,*

Idque Ancile vocant, quod ab omni parte recisum est,

Quemque notes oculis, angulus omnis abest. Ovid.

Sive quod ἀγκύλον τὸ χῆμα ποιᾷ, hoc est, curvam figuram facit, ut ait Freinshemius in Plut. vitam Numæ. Ferunt enim, regnante Numa, breve scutum, atque rotundum de cœlo lapsum: de quo sic Ovid. 3. Fast.

Ecce levi scutum versatum leniter aura

Decidit: à populo clamor ad astra venit.

Qua de re consulti haruspices responderunt, ibi futurum totius Imperium orbis, ubi scutum illud servaretur. Quo responso accepto, & honoris gratia, & quò idem tutius servaretur, ne ab hostibus surripi posset, Numa Pompilius 12. alia ad similitudinem cœlestis illius fabricari jussit, quæ in templo Martis reposita fuere: & cum 12. adolescentes sacerdotes Numa ipsi Marti Gradio delegisset, jussit ipsa cœlestia arma, quæ Ancilia nominavit, suspensa collo ab ipsis per Urbem gestari, & cum saltu, atque tripudiis carmina decantari: Unde Ovid. 3. Fast.

Jam dederat Saliis (à saltu nomina ducunt)

Armaque, & ad certos verba canenda modos.

Inter cætera carmina quædam canebantur in celebris Mamurii laudem, quæ Numæ jussu 12. illa cœlesti simillima fecerat. *Palladium* erat simulacrum Palladis, quod Æneas à Diomede acceptum post excidium Trojæ in Italiam transportaverat. *Janus* à januis, quibus præest, appellatus, dictus etiam *Geminus*, sive ob singularem prudentiam, qua futura præviderit, & præterita sci- verit: sive quia geminam faciem habebat, tum ad ostendendos duos Reges Tatium, & Romulum, fœdere inito, junctos, à quibus etiam templum ei ædificatum Romæ quidam volunt, quod a Numa alii ædificatum volunt; tum etiam ad significandum, quod in bellum ituri retrò respicere debent; an habeant quo tuto reverti possint. Hujus quidem templi portæ tempore belli patabant, pacis verò tempore cludebantur. Unde *Janus Patulejus*, & *Clusius* cognominabatur. Numa autem regnante, Jani templi portæ semper clausæ fuerunt; nullum enim bellum, nulla sedatio ejus unquam turbavit imperium, sed perpetua pax, & quies, summa Felicitas & tranquillitas Romæ fuit. Virgines, quæ Vestæ sacra curabant, *Vestales* dicebantur; earumque cura erat, ignem perpetuo accensum conservare; qui si forte per negligentiam extinctus fuisset, non ex alio igne reparandus erat, sed accensa

per somites ex foliis radiis flamma , purissimus , ac cœlestis ignis eliciebatur . Hic autem perpetuum ignem conservandi mos primum Ecclesiæ Judaicæ fuit . A Judæis , ut & alia , acceperunt Ægyptii , Persæ & Chaldæi : ab his Græci : a Græcis denique Romani . Vide Plut . in Numa . His de potioribus Numæ factis , & vita adnotatis , ad ejus Philosophiam gradum facio . Pythagoricus à Cl . Al . 1 . Str . habetur , plerisque etiam Pythagoræ discipulus , & familiaris ; ajuntque Pythagoram Numæ coœvum fuisse : alii tamen id prorsus negantes afferunt , & forsitan rectius , Pythagoram anno Romæ 220 . vixisse , & Eusebius eum mortuum refert anno quarto Olymp . 70 . ut nos etiam in Pythagora notavimus . Sed in retam varia , quæ à Plut . antiquissimo Numæ vitæ scriptore habemus , referam : *Cum autem fama obtineat , Pythagoræ Numam auditorem fuisse , partim eum Græcas literas negant attigisse , quasi aut sua indole , & per se aspirare ad virtutem quiverit , aut præstantiori Pythagoræ tribui barbaro , nescio cui institutio possit Regis : partim Pythagoram dicitur diu post secutum , atque ab Numæ seculo quinque ferme remotum cœtibus ; sed Spartiatem Pythagoram , qui Olympiis cursu victor fuit circa sextam decimam Olympiadem , cuius anno tertio est regnum Numa adeptus , cum peragret Italiam , consuetudinem habuisse cum Numa , atque in constituendo regno consiliorum ei fuisse adjutorem : quare ex præceptis hujus Pythagoræ non pauca esse instituta Lacedæmoniorum admixta Romanis . Cœterum cœtates adamus sim exigere haud promtu sit . Et ibidem post multa : Unde percrebuit præcipue , sapientiam hanc , & eruditionem ex Pythagora bauisse Numam . Magna enim ex parte hic Reip . suæ institutionem , Philosophiam superior in rebus divinis posuit . Exteriorem etiam speciem , & personam eadem , ac Pythagoras mente dicitur petiisse . Deinde Numæ , & Pythagoræ institutorum similitudinem ostendens , ibidem post pauca subdit . Plerisque autem divinationes suas contulit in Camænas . Unam peculiariter , atque eximie venerari præcepit Romanis , Tacitam eam nominavit : quæ commemoratio visa est , & observatio silentii Pythagorici . Jam hujus de statuis scita undequaque Pythagoræ placitorum sunt germana ; neque enim ille sensui , aut ulli dolori expositum rerum principium esse , sed invisiile , incorruptum , sola mente existimavit apprehensibile . Hic vetuit Romanis hominis , vel bestiæ formam tribuere Deo , neque fuit ulla apud eos ante picta , aut ficta imago Dei , sed primos 160 . annos templo extruxerunt , & cellas Diis : simulacrum per id temporis nullum babuerunt , nefas putantes augustiora exprimere humilioribus , neque aspirari aliter ad Deum , quam mente posse . Ad hæc hostiæ ejus respondent plane victimis Pythagoricis , incruentæ enim erant , ac fere farina libaminibus ex vino , & rebus simplicissimis parabantur . Aliis præterea argumentis urgent remotioribus horum contubernium ; quorum unum est , quod donaverunt Pythagoram Romant civitate , ut autor in libro quodam Antenor dicitur Comicus est Epicharmus , Vir antiquus , & ex Schola Pythagorica . Alii , quod unum Numa ex quatuor filiis suis nomine Pythagoræ filii appellaverit Mamercum . Ajunt etiam , qui Numam Pythagoræ coœvum faciunt , morem apud Romanos Deum adorandi , quem à Numa acceperunt , eundem fuisse cum Pythagoreis , hoc est , ut ne quis obiter adoret , & supplicet Diis , nec perfunctorie divinis vacet , sed vacuus curis aliis velut summo negocio religionis advertat animum : Numæ etiam edicta omnia magna ex parte præceptorum Pythagoricorum æmula fuisse notant . Tandem addunt , Numam sacras legum , quas vivens Pontificibus tradiderat , tabulas una cum corpore humari jussisse , nec tuto Pythagoricorum more arcana mortuis committi literis existimasse , ut Lib . 3 . in Pythag . nos quoque tradidimus . Sed ignorandum , verba sunt Plut . ibid . iis , qui tam multis concurrentibus affinitati bus*

bus familiaritatem Numæ conciliare conantur cum Pythagora. Valerius Antias, pergit cit. Autor, scriptum reliquit, 12. volumina de rebus sacris, 12. item græca alia de studio sapientiae in ea arca condita fuisse. Idem etiam affirmat Petrus Grinitus de Honesta Disciplina l.9. c. 1. Notum est, Regem Numam, qui leges Romanis condidit, libros 12. scripsisse, partim græce (ut traditur) partim latine, in quibus Pythagorica Sacra, & Pontificalia continerentur: eosque voluisse in monumento suo recondi, ne in vulgus, credo, & propalam, quæ arcana, & sacra erant, devenirent. Qua in re Pythagoræ secutus est disciplinam, quæ profanum vulgus longe arceret. Sed exemplo simili relatum de Dardano est, qui cum egregie in magicis artibus præstaret, libros à se conscriptos in sepulcro fertur constituisse: quos Abderites Democritus, vir sagacis ingenii in perscrutandis naturæ viribus diligentissime requisivit: tum commentarjis editis illustravit, disciplinamque ex illis reconditam, atque multiplicem accepit; quod & C. Plinius ad Cæsarem Vespasianum testatur.

Vulgaris igitur opinio est, Numam Pythagoræ sectatorem, imo & auditorem fuisse. Cicero tamen de Orat. lib. 1. afferit, Numam duobus seculis Pythagoram præcessisse. Dionysius Halicarnassæus erudite probat, Numam quatuor pene ætates ante Pythagoram vixisse. Sed illud plane certum omnibus fermè habetur, Numam multis ante Pythagoram annis extitisse. Atqui Cic. Tuscul. l. 4. in principio Numæ ætatem assignans ait: *Erat enim illis pene in conspectu præstanti sapientia, & nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus iisdem, quibus L. Brutus patriam liberavit.* Sed unde vulgaris hæc opinio ortum duxit? Probabilis est Ciceronis conjectura loc. cit. ubi sic: *Quin etiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque Regem Pythagoreum à posterioribus existimatum.* Nam quum Pythagoræ disciplinam, & instituta cognoscerent, Regisque ejus æquitatem, & sapientiam à majoribus suis accepissent; ætates autem, & tempora ignorarent propter vetustatem, eum, qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. Pythagoram autem omnium sapientissimum à Romanis existimatum fuisse, confirmat Plin. Hist. Nat. l. 34. ubi narrat, Romanos in bello contra Samnites Apollinem Pythium consuluisse, qui jussit, duas statuas in Urbe celebri loco, Græcorum gentis sapientissimo unam, alteram fortissimo, dicari: Romanos autem alteram Pythagoræ, Alcibiadi alteram dicasse. Quicquid tamen de hac quæstione sit; id certum fateri possumus, Numam cum Pythagora, sive ipsi coævus, sive post ipsum vixerit, in Metaphysica, Ethica, & Politica, in dogmatis consensisse; unde hac ratione ipsum Pythagoricum cum Clem. Alex. vocare licebit.

De Numæ liberis, & Uxoribus quæstio adhuc est inter Autores. Alii dicunt, eum præter Tatiam conjugem non habuisse, nec alios ex ea liberos præter filiam Pompiliam, quam Tullo Hostilio, qui Numæ in regno successit, nuptam tradit Morery in suo Lex. Hist. Alii tamen non ex Tatia editam dicunt, sed ex Lucretia, quam post adeptum regnum Numa uxorem duxerat; eamque non Tullo Hostilio, sed Martio nuptam afferunt. Quod confirmare videtur Plut. in Numa, dum ait: *Omnis certe consentiunt Martio nupfisse.* Martius hic filius fuit illius Martii, qui ad regnum suscipiendum Numam impulit: is enim simul cum eo commigravit Romam, & honoris caufsa allectus in Senatum fuit. Sunt denique, qui afferunt (quæ & Morery sententia est) præter Pompiliam ex Tatia Numam quatuor habuisse filios, Pomponem, ex quo Pomponii, Pinum, ex quo Pinarii, Calpum, ex quo Calpurnii, & Mamercum, ex quo Mamercii originem duxere: quæ quatuor familiæ nobilitate illustres Romæ extiterunt. Hoc etiam ut falsum alii infestantur.

Sustulit Numa ex Urbe Romuli, & Tatii factiones, jussitque unum om-

nes esse, unoque Romanorum nomine vocari. Magnus fuit legum conditor, vel corrector: correxit enim, præ cæteris, legem, qua Patri erat liberos distrahendi potestas. Tandem senio, & lenta ægritudine confectus, anno ætatis circiter 82. regni autem 42. decessit clarus hic Philosophus, Legislator, magnum Regum exemplar, justitiae, pietatis, religionis, pacisque cultor egregius: cuius laudes præter Liv. I. I. Flor. I. I. c. 2. Aurel. Victor. de Vir. illustr. c. 3. Dionys. Halicarnas. I. 2. Hist. & Plut. in Vita, habet etiam Cic. pluribus in locis. Et lib. 3. de Nat. Deorum. *Mibi que ita persuasi, Romulum auspicis, Numam sacris constitutis fundamenta jecisse nostræ Civitatis: quæ nunquam profecto sine summa placatione Deorum immortalium tanta esse potuisset.* Et de leg. I. I. Nec dubito, quin iidem & cum Egeria collocutum Numam &c. Et de leg. I. 2. *Conclusa quidem est à te tam magna lex sane quam brevi: & ut mibi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum à legibus Numæ, nostrisque moribus.* Et ibid. post multa: *Quod institutum perite à Numa, posteriorum pontificum negligentia dissolutum est.*

Notandum hic, me de Philosophis Recentioribus hoc quarto Historiæ libro acturum, in ipsis numerandis non sectarum differentiam, sed temporum seriem servare decreuisse. Verum cum in aliis libris, & tertio potissimum, qui Græcorum est, eos per sectas, non per ætatem, distinctos tradiderim; rectius duxi, eundem in hoc libro ordinem conservare. Romanorum igitur Philosophos per sectas distinguens, à Pythagoreis initium feci (licet eorum titulus in hoc capite sit prætermisssus) namque illorum Secta reliquarum fuit vetustissima. In unaquaque autem secta suus cuique Philosopho secundum ætatem locus erit. Sed quum de Numa, qui Pythagoreus si non extitit, saltem habitus est, satis superque dictum sit, ad alios Pythagoreos accedamus.

Q. ENNIUS

POëta vetustissimus, quem, ut Silius Italicus refert,
- - - - *Rudiæ genuere vetustæ;*
secundum tamen Euseb. in Chron. qui ejus nativitatem signat an. 4. Olymp. 134. Tarentinus fuit. Eusebii verba sunt: *Q. Ennius Poëta Tarenti nascitur, qui à Catone Quæstore Romam translatus habitavit in monte Aventino, parco admodum sumtu contentus, & unius ancillæ ministerio.* Pythagoricæ sectæ fuisse ostendit suorum Annalium initium, in quo Metempychosim pertractat, referente Cozzando I. 5. de Magisterio Antiqu. Philos. c. 2. Persius etiam Pythagoricum destinat Sat. 6. ubi ait:

*Cor jubet hoc Ennj, postquam defertuit esse
Mæonides quintus pavone ex Pythagoreo.*

Quod etiam confirmatur ex eo, quod ipse Homeri animam in se immigrasse dicebat: unde & Latinorum Homerus semper habitus fuit, ut notat Lævin. Torrent. not. in Horat. I. 2. ep. 1.

Magnam habuit consuetudinem cum P. Scipione, qui Africam devicit: hic enim cum eruditis, præcipue cum Ennio familiaritatem amabat; cum quo laudes in marmore communes habuit, ut notat C. Rhodig. I. 7. Antiqu. lect. c. 1. M. Fulvium Nobiliorem, cuius etiam filium erudivit, ad bellum Ætolium selectus est, & Catoni jam seni Græcarum literarum præceptor fuit, ut Sext. Au. sel. Victor. refert, an. V. C. 550. vel 551. Romæ degens Annalium libros 18. vel secundem alios, 12. heroico versu composuit. Macrobius Saturnal. 6. ait, Virgilium in multis Ennium imitatum fuisse, poëtam cæteroqui non valde insignem: nam in sententiarum quidem gravitate excelluit, in verborum tamen cultu

cultu non enituit. Hinc Lil. Gyraldus: *Ingenio acri fuit, atque ad scribendum promissimus, vehemens in sententiis, in verbis ruditibus, ut qui non discederet à communi more verborum. Sic etiam Ovid. de Trist.*

Ennius ingenio maximus, arte ruditus.

Et Statius l. 1. Sylv. Rudem Ennii musam dixit, ad patriæ Rudiæ nomen alludens. Possevin. vero in Biblioth. Ennius primum inter Latinos Poëtas Epicos locum obtinet, quem & Virg. sibi imitandum proposuit, & M. Varro discipulum Musarum, quemadmodum M. T. Cic. Summum Epicorum poëtam vocat. De Virg. Ennii Poësin legente saepius, illud dictum:

- - - - *Ennius de stercore colligit aurum.*

J. Lipsius l. 2. Antiqu. lect. c. 22. Ennii versus immortalitate omnium temporum dignissimi extant apud A. Gellium l. 12. cap. 4. de Amici veri officio: qui à verbis ejusmodi sunt, ut in iis vernaculus ille, & sine fuso, ac cincinnis nativus color hominem eruditum mirifice delectet: & à rebus ita salubres, ut adolescentium aures circumsonare ejusmodi vocibus potius multo sit, quam sexcentum Philosophorum præceptis. Voss. de Hist. Lat. Quemadmodum ea est laus Nævii, quod primus carmine signarit bellum Romanum, & luculente quidem, ut ait M. Tullius: ita Ennio debemus, quod non paulo id politius fecerit, & perfectius, idque versibus Heroicis, ob quorum majestatem ita eum celebrat Lucretius in 1.

Ennius ut noster cecinit, qui primus ameno-

Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Tandem maximam Ennii laudem habet Scaligerana 1.p.78. Ennius Poëta antiquus, magnifico ingenio: utinam hunc haberemus integrum, & amisissimus Lucanum, Statuum, Silium Italicum, omnesque pueriles ejusmodi Poëtas. Ennius præter Annales, scripsit Satyras, Comœdias, & Tragœdias, ex quibus ad nos nihil pervenit, exceptis aliquot versibus, à Scriptoribus veteribus passim citatis. Ennii fragmenta, præter alios, commentariis adjectis edidit Hieron. Columna, & magis luculente Paulus Merula Lugd. Bat. 1595. in 4.

Denique Ennius, qui ex communi omnium opinione Rudiis natus in Calabria, anno V.C. 514. sive 515. C. Mamilio Turrino, & Q. Valerio Falto. ne Coss. & è Sardiniae insula, in qua vitæ partem duxerat, à Catone Censorino Romam translatus est; septuagenarius ex morbo articulari; quem ab immodico vini potu contraxerat, mortuus est, Q. Marcio Philippo, & C. Servilio Cæpione Coss. ut Cic. in Bruto afferit. Sepultus autem traditur in eodem Scipionis, familiaris sui, monumento, viâ Appia: cui hoc Epitaphium impostum, ut ex eodem Cicerone:

Adspicite, o Cives, Senis Ennii imaginis formam:

Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu

Fanit: Cur? volito vivus per ora virum.

PUBLIUS NIGIDIUS FIGULUS

P hilosophus fuit secta Pythagoreus, post Varronem Romanorum doctissimus habitus. Verum cum Pythagorei Magiæ suspecti omnes haberentur; in exsilium pulsus, & ibi mortuus est an. Romæ 709. Olymp. 184. Ejus testimonium, & laudes habet Cic. initio libri de Universitate, in quo: *Multa sunt à nobis & in Academicis conscripta contra physicos; & saepe cum P. Nigidio, Carneadeo more, & modo disputata: fuit enim vir ille cum ceteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator, &*

di-

diligens earum rerum, quæ à Natura involutæ videntur. Denique sic judico; post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, cum aliquot secula in Italia, Siciliaque vigissent, hunc extitisse, qui illam renovaret, qui cum me &c. Extat etiam lib. 4. Ep. Cic. ad familiares Epistola 13. ad Nigidium scripta, qua exsulan tem spe redditus solatur, eumque unum omnium appellat divinissimum, atque sanctissimum. Imo & ejus opera Cic. in multis, arduisque Reip. negotiis usus est, ut testatur Agellius: qui lib. 19. c. 14. de Nigidio, scriptore nimis obscuro, hæc habet: *Ætas Ciceronis, & C. Cæsar is præstanti facundia viros paucos habuit: doctrinarum autem multiformium, variorumque artium, quibus humanitas erudita est, columna habuit M. Varro nem, & P. Nigidium.* Sed Varronis quidem monumenta rerum, ac disciplinarum, quæ per literas condidit, in propatulo, frequentique usu sunt. Nigidianæ autem commentationes non proinde in vulgus exeunt: & obscuritas, subtilitasque earum tanquam parum utilis derelicta est. Pythagoricæ disciplinæ, ac proinde Matheœcos, & Magiæ callentissimus fuit. Hinc Lucan. Bell. Civil. I. i.

At Figulus, cui vera Deos, secretaque Cœli
Nosse fuit; quem non Stellarum Ægyptia Memphis
Æquaret visu, numerisque moventibus astra.

Et Suet. in Augusto narrat, Nigidium, comperta hora genituræ Octavii, pronciasse, Dominum terrarum orbi genitum. Dion etiam in Augusto sic: *Quumque puer jam natus esset, Nigidius Figulus Senator statim ei filii summum imperium prædictit. Noverat is supra omnes homines suæ ætatis totius Cœli ordinem, & cursum: tenebat stellarum vim, atque differentiam, quid ipsæ per se, aut cum aliis conjunctæ possint, & efficiant: quorum tamen studiorum (quod occulta esse, & vana videbantur) culpam sustinuit.* Is igitur, ut vidit Octavianum serius propter partum Uxor is in curiam venientem (nam tum forte Senatus erat) statim exclamat: *Nobis, Octavi, dominum genuisti.* Deinde ea de re perculsum Octavianum, atque idcirco puerulum necare volentem prohibuit &c. Ejus & alii cum laude meminere. Janus Rutgerius Nigidii fragmenta, quæ apud autores extant, diligenter cura collegit. Vide etiam la Popeliniere lib. 5. de Hist. & Agell. I. 4. c. 9. *Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varro nem doctissimus.*

A N A X I L A V S.

Eusebius in Chron. ad Olymp. 188. *Anaxilaus Larissæus, Pythagoricus, & Magicus ab Augusto Urbe, Italiaque pellitur.* Quod & Nigidio Figulo, aliisque Pythagoricis accidit: quippe Pythagorici magna Magiæ suspicione, & infamia tenebantur; unde à Rerum publ. rectoribus in exsilium mittebantur. Atque hinc factum, ut Domitianus, barbari, ac feri ingenii Princeps, cum videret, multos Philosophos Magicis artibus operam dare, omnes Philosophos severissimo edicto tota Italia proscripsit: & Antoninus Pius non nisi quatuor sectas publice admisit, Platonicam, Epicuream, Peripateticam, & Stoicam, ut refert Lucianus in Eunicho. Neque mirum, Pythagoricos Magiæ nimirum addictos fuisse, nam & ipse Sectæ conditor Pythagoras Magiæ indulxit, & Magnus à Timone Phliasio in Sillis appellatus est.

Atque hæc de Pythagoricis, qui numero omnium Philosophorum paucissimi; nam, ut diximus, Urbe vel arcebantur, vel ejiciebantur, quia Magiæ suspecti. Ad aliarum igitur Sectarum Philosophos accedamus.

PLATONICI, ET ACADEMICI.

M. TERENTIUS VARRO

PHilosophus, Historicus, Poëta, & Grammaticus Romanorum omnium doctissimus, natus est anno U. C. 638. ejus elogia plures contexerunt; quorum potiora hic referam. Plut. in Romulo. Varro Philosophus Romanorum plurimæ fuit in *historia lectionis*. Apul. in *Apolog.* Vir accuratissime doctus, atque eruditus. Arnob. advers. Gent. l. 3. Varro ille Romanus multiformibus eminens disciplinis, & in vetustatis indagatione rimator. Lactant. l. 1. Divin. Inst. c. 6. M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, ne dum apud Latinos vixit. August. de Civ. Dei l. 6. c. 2. de Diis Gentium loquens ait: *Quis M. Varrone curiosus ista quæsivit? quis invenit doctius? quis consideravit attentius? quis distinxit acutius? quis diligentius, pleniusque conscripsit?* qui tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen, atque scientiis tam refertus est, ut in omni eruditione, quam nos secularem, illi autem liberalem vocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum verborum Cicero delectat. Quintil. Inst. l. 10. c. 1. Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus. Plurimos hic libros, & doctissimos composuit, peritissimus linguae latine, & omnis antiquitatis, & rerum græcarum, nostrarumque plus tamen scientiæ collaturus, quam eloquentiæ. Lips. l. 3 var. Lect. c. 19. Terentius quidem Varro, vir cum Græcis literis perfectus, & Latinis, tum antiquitatis cum primis imitator diligens. Scaligerana prima pag. 146. & 147. Unicum Varronens inter Latinos habemus libris tribus de *Re Rustica*, qui vere ac meodiu[m] philosophatus sit: *imo nullus est Græcorum, qui tam bene, inter eos saltem, qui ad nos pervenerunt. O excellens opus, ex quo qualia ejus reliqua erant opera, conjectare quivis potest!* Sed, quod mirum, non minus in Poësi valuisse, fragmenta Poëmatum indicant. Baron. volum. 1. Annal. p. 35. Rerum antiquarum Varrone doctiorem neminem fuisse constat. Et Petrus Crinitus de Honesta disciplina l. 10. c. 11. De Varrone Terentio notum est omnibus, quantum omnis antiquitas ejus studium, atque multiplices doctrinas extulerit; ut omnium quidem togatorum doctissimus habitus sit. Cui sententiæ M. Cicero, & Fabius Quintil. calculum adjecterunt. Itaque sic Maurus Terentianus ad Novatemum:

Vir doctissimus undeque Varro.

Qui tam multa legit, ut est autor Augustinus, ut aliquid ei scribere vacasse timerum, tam multa scripsit, quam multa vix quemquam legere potuisse credamus. Post hæc notat cit. Crinitus, & summe miratur, Varronem disciplinarum omnium parentem, & principem, à Rhemnio Palæmone imperitum hominem, & porcum fuisse appellatum. In Etymologiis tamen tradendis reprehenditur à Quintil. Jof. Scaligero, Manutio, atque aliis. Et Scal. quidem: *Varro more suo anxie Etymologias comminiscitur.* Manut. l. 3. epist. 23. *Varro in Etymologiis Varro non videtur: itaque à Quintiliano videtur meritò.*

Composuit libros 24. de Lingua Latina, quos Ciceroni dedicaverat; de iis, qui nunc extant, ita Lud. Viv. de Tradend. discipl. p. 225. *Varronis de Lingua Latina libri tres intricati ex illo dicendi more ipsi peculiari.* Scripsit octogesimum agens annum libros tres de *Re Rustica*: *Satyras Menippeas*: *Antiquitates rerum humanarum, divinarumque: Libros de vita Pop. Romani: Opus Hebdomadum*, quod continebat imagines, & elogia doctorum virorum: *librum de Poëtis, & Scenicis Originibus, &c.* Horum tamen nonnisi fragmenta quædam ad nos pervenerunt.

Secta fuit Academicus, Ciceroni cum primis familiaris, & condiscipulus,

ut

ut idem Cic. testatur Acad. Quæst. I. i. Edit. secundæ, his verbis: *Quin videmus hominem nobiscum & studiis iisdem, & vetustate amicitiae conjunctum.* In quo libro Varronem de Philosophia disertissime per Dialogum loquentem inducit. Ibidem Varro Ciceroni interroganti, cur ipse, qui in Philosophia excellit, & multum scribit, genus hoc prætermittat? respondet. *Rem à me sœpe deliberatam, & multum agitatam requiris. Itaque non multum hæsi- tans, respondebo: sed ea dicam, quæ mibi sunt in promtu; quod ista ipsa de re multum, ut dixi, & cogitavi: Nam cum Philosophiam viderem diligentissime literis Græcis explicatam, existimavi, si qui de nostris co studio tenerentur, si essent Græcis doctrinis eruditæ, Græca potius, quam nostra lecturos; fin à Græcorum artibus, & disciplinis abhorrent, ne hæc quidem curatuos, quæ sine eruditione Græca intelligi non possunt: itaque ea nolui scribere, quæ nec indocti intelligere possent, nec docti legere curarent.* Veteris autem Academiæ Sectatorem fuisse, ipse de se testatur, inquiens: *Si vero Academiam Veterem persequamur, quam nos, ut scis, probamus; quam erit illa acute explicanda nobis?* Quare suam in Physica sententiam de rerum principiis ibidem exponens, inquit: *Nostra tu physica nosti, quæ continentur ex effectione, & ex materia ea, quam fingit, & format effectio. Adhibenda etiam Geometria est, &c. caussam etiam addit, cur ad Græcorum studium amicos mittat, his verbis: Sed meos amicos, in quibus est studium, in Græciam mitto, id est, ad Græcos ire jubeo, ut ea à fontibus potius hauriant, quam rivulos consequentur.* Tandem Varronis, ejusque operum laudes ibi à Cic. descriptas sic optime invenies. *Nam nos in nostra Urbe peregrinantes, errantesque tanquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt; ut possemus aliquando, qui, & ubi essemus agnoscere. Tu ætatem Patriæ, tu descriptiones temporum, tu sacrorum jura, tu sa- cerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum, loco- rum, tu omnium divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia, caussas aperuisti: plurimumque Poëtis nostris, omninoque Latinis, & literis luminis attulisti, & verbis: atque ipse varium, & elegans, omni fere numero poëma fecisti: Philosophiamque multis locis inchoasti ad impellendum satis, ad docendum parum. Caussam autem probabilem, &c.*

Mortuus tandem est doctissimus hic Senator, & Philosophus, anno U.C. 726. ætatis suæ 90. Ejus vitam scripsit Verranius Maurus; qui suorum etiam operum titulos digessit; quem vide, & Scalig. Voss. Turneb. Gesner. & alios.

C. AURELIUS COTTA

INsignis Orator, & Philosophus Academicus fuit, ex illustri familia Cotta Romæ natus. Unus ex quatuor Sectarum principibus est, quos Cic. I. i. de Nat. Deor. ad propriam Sectam tuendam patronos loquentes inducit: ubi Cotta, eloquentissimus inter Academicos, ea tempestate florentes, princeps, Academicorum partes tuetur; C. Vellejus Epicureis; Q. Lucilius Balbus Stoicis; & M. Piso Peripateticis patrocinatur. Sic itaque Cic. I. c. *Tres enim trium disciplinarum principes convenistis. M. enim Piso si adesset, nullius Philosophiæ, earum quidem, quæ in honore sunt, vacaret locus, &c.* Hæ namque quatuor, ut alias dictum, Philosophiæ Sectæ Ciceronis ævo, & fere semper, Romæ in honore habitæ, imo & permittiæ sunt, Academicæ, sive Platonica, Epicurea, Stoica, & Peripatetica. Verum hi Sectarum Principes ante Ciceronem decesserant, ut ex Ep. 19. lib. 13. Ep. ad Att. educitur. Vide etiam Leopardum Cozzandum de Magisterio Antiquorum Philosophorum I. i. c. 9.

M. TULLIUS CICERO.

Non ultima Ciceronis laus est, oratorum omnium, Romanæque Eloquen-
tiæ Principem fuisse; sed & Romanorum Philosophus vel primus extitit:
ut ex ejus studiis, & operibus, de quibus mox, clarissime evincitur. Arpini,
quod celebre Volscorum oppidum, natus est 3. Nonas Januarias a. Romæ 648.
Olymp. 168. unde Arpinas appellatus. Mater ei Helvia,claro genere, & honesta
vita mulier. De Patre quæstio est inter autores. Alii enim, referente Plut. in vi-
ta, in officina fullonia & natum volunt, & educatum. Alii ad Appium (sive po-
tius Accium, cuius meminit **Liv.** l. 2.) Tullium, clarum Volscorum Regem
originem familiæ ejus referunt. Cujus sententiæ esse videtur Euseb. Cæsar.
Chron. p. 65. ubi: *Marcus Tullius Cicero Arpini nascitur, Matre Helvia, Patre*
equestris ordinis, ex regio Volscorum genere. Alii denique teste Roscio, quem
sequitur Morery, & reliqui fere omnes, eum ex Equite Romano, à Tito
Tatio Sabinorum Rege origine ducente, ortum contendunt. Hac autem de
caussa Ciceronis cognomen ipsum habuisse refert Plut. ib. *Habuit ille in ex-*
tremo nasi ad modum ciceris cæcam incisuram, unde cognomen quæsivit. Ipse
quidem, quo de hic scribimus, Cicero, admonentibus amicis, cum primum ho-
mores peteret, & Remp. attingeret, ut abjiceret hoc nomen, immutaretve, fer-
tur gloriens dixisse, enisurum se illustrius Ciceronis nomen Scauris, & Catulis
reddere. Ex puero magnum ingenii in discendo acumen, & solertiam habuit;
ita ut ad omnes ingenuas artes, omneque eruditionis genus complectendum
natus videretur. Condiscipulis omnibus magnæ erat admirationi; eorumque
caterva stipatus mediis ad ludum literarium semper pergebat. Adhuc puer.
Poema conscripsit, cui titulus *Pontius Glaucus*: poesi enim maxime delecta-
batur; imo & Poeta inter Romanos tunc præstantissimus habitus est. Puerili
schola defunctus Philoni Academicus, tunc Romæ Philosophiam docenti, ope-
ram dedit: deinde Mutio Scævolæ, viro consulto, & Senatus Principi, à quo
Jurisprudentiam hausit.

Annos natus 23. ut refert Nepos, vel 25. ut alii, Roscio Amerino, par-
ticidii reo, patrocinatus est. Sed metuens Syllam, tunc Romæ potentissimum;
quem in ea caussa offenderat, simulata infirmæ valetudinis caussa, in Græciam,
Asiamque abiit: ubi se, ut ipse testatur, recoquendum præceptoribus dicendi
dedit. Et profecto erat corpore gracili, & macilento, stomachoque infirmo;
unde sæpius in Ep. se *κακοσόμαχον* dicit; ac propterea modicum cibi admodum
sero capiebat. Vox ei erat canora, & bona, sed dura, & incondita. Ut igitur
Athenas venit, Antiochum Ascalonitam, Academicum audivit; ut infra in
Antiocho ex Plut. ipsiusque Ciceronis testimoniis adnotabimus, iterumque
Academicæ Philosophiæ studiis se addixit, statuens tranquillam in Philosophia
ibi vitam ducere, si nullus in foro, & Rep. administranda locus ei Romæ
daretur. Diodoti etiam Stoici se discipulum fatetur Acad. Qu. l. 2. 37. his verbis:
Diodoto quid faciam Stoico? quem à puero audivi, qui mecum vivit tot annos,
qui habitat apud me, quem & admiror, & diligo. Et de Nat. D. l. 5. huic alios
suos etiam adnumerat Præceptores; magnamque in Philosophiæ studiis sui animi
contentionem refert, inquiens: *Nos autem nec subito cœpimus philosophari: nec*
mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operam, curamque consumsimus:
&, cum minime videbamur, tunc maxime philosophabamur. *Quod & orationes*
declarant refertæ Philosophorum sententiis; & doctissimorum hominum fami-
iliaritates, quibus semper domus nostra floruit; & principes illi, Diodotus,
Pbilo, Antiochus, Posidonius, à quibus instituti sumus, &c. Unde ingenuæ ipse
l. 2. de Fin. fatetur, ipsum, & Romanos omnes Græcis Philosophiam, & scien-
tias

tias acceptas ferre, inquiens: *Sint ista Græcorum: quamquam ab his Philosophiam, & omnes ingenuas disciplinas habemus.* Ut & nos supra innuimus. Sed ubi Syllæ mortem accepit, ac corpore exercitatione firmato, & voce jucundiore redditæ, cohortantibus amicis, ipsoque etiam Antiocho, ut ad oratorium munus, Reipublicæque regimen rediret; totum se oratoriæ facultati deyovit, atque ideo in Asiam, Rhodumque navigavit. Et in Asia quidem Xenoclem Adramittenum, Dionysium Magnesium, & Menippum Charem audivit: Rhodi verò Apollonium Molonetum, Molonis filium, Philosophum, & Oratorem omnium sui ævi eloquentissimum, dicendi Magistrum habuit. *Hic à Cicerone contendit, ut græce declamaret: quem ubi declamantem græce audivit, diu cogitabundus, ac tristis sedens, tandem de tristitiae causa interrogatus exclamavit: Te quidem laudo, Cicero, & admiror, Græciæ verò miseret me conditionis, cum cernam, quæ reliqua nobis sola erant ornamenta, ea quoque te ad Romanos transfusisse, literas, & Eloquentiam.*

Hinc Romam venit, ubi in foro omnium optime oratoriam exercuit. Dicitur autem hic, non secus ac Demosthenes, in actione laboravisse: quare, ut in re oratoribus tam necessaria proficeret, nunc Roscio Comœdo, nunc AEsopo Tragœdo operam dedit. Etsi rem familiarem modicam quidem habebat, & ad victimum necessarium vix sufficientem; patrocinii tamen causa neq; mercedem neq; munera capiebat. Sed ejus doctrina, ac prudentia cognita, Quæstor in annonæ difficultate designatus, ac Siciliam sortitus, rectissime commissam sibi provinciam administravit an. U. C. 679. atque ita ex provincia decessit, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque memoriam quæsturæ, nominisque sui relinqueret. Deinde AEdilis factus Verrem de luxuria in flagitiis, crudelitate in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis, Deorum è delubris raptu sacrilego, ac de totius Siciliæ, cui Verres per triennium Prætor fuerat, populatione accusavit a. U. C. 683. ætatis suæ 37. suisque in Verrem actionibus in Senatu habitis ipsum impulit, coegitque, ut in Verrem, quem repetundarum reum Siculi postulabant, sententiam ferret. Quare Verres de repetundis damnatus; Siculisque illata damna ex ejus pecunia refecta sunt. Siculi, ut se gratos ostenderent, multa ex ea insula advecta Ciceroni obtulerunt; verum ipse omnia non in proprium usum, sed ad annonæ egestatem levandam, publicumque usum convertit. Prætor electus summa laude hoc munere defunctus est: & licet multos, atque insignes haberet competitores, omnium tamen primus renunciatus est.

Anno 690. sive 691. una cum C. Antonio Nepote ad Consulatum non minus ab Optimatibus, quam à plebe proiectus, Urbis proditores detexit, qui, duce L. Catilina, homine audaci, inquieto, versipelle, flagitioso, Urbi ferrum, flamمامque minabantur. Patefacta Catilinæ in Remp. conjuratione, Cicero Orationem in Senatu habuit in L. Catilinam: qua oratione perterritus Catilina Urbe ausfugit cum sociis. Hinc Cicero alia Oratione ad Populum R. gratulatur ei de Catilina jam ejecto, ac profligato; cuius nefarium consilium erat, ut Flori verbis utar, Senatum confodere, Consules trucidare, distringere incendiis Urbem, diripere AErarium, ac totam denique Remp. funditus tollere: quibus sceleribus patrandis opportuna erat occasio, quod in extremis mundi partibus arma Romana peregrinabantur. Catilinarium bellum conscripsere Liv. Sallust. Val. Max. Plut. in Vitis Syllæ, Ciceronis, & Cæsaris. Pauca tamen hic ex Floro l. 4. c. 1. ubi breviter, eleganterque ipsum descripsit, adducam . . . *Lentulus quoque cum maxime Prætor: hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere: summum nefas; nisi amplius esset, propter quod bibe-*

biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem, & Antonium Consules incidisset: quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emerit, vilissimum scor-
tum, sed parricidit innocens & ille quidem (Catilina) ad præpara-
tum à Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentu-
lus destinatum familiæ suæ fibylinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præ-
stitutum à Catilina diem, Urbe tota viros, faces, tela disponit. Nec civili
conspiracye contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma
sollicitatis, iisset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcit, Præ-
toris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus.
Palam Prætor in Senatu convincitur. De suppicio agentibus, Cæsar parcendum
dignitati: Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam secutis
omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis
oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit: sed infestis ab Etruria signis
patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicar-
tum sit, exitus docuit: nemo hostium bello superfuit: quem quis in pugnando
cæperat locum, eum, amissa anima, corpore tegebatur. Catilina longe à suis inter
hostium cadavera repertus est; pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.
Præclaro hoc facinore celeberrimus Cicero factus, & à Populo plausibus, &
acclamationibus exceptus, optimatibus stipatus, patriæ servator, & conditor
dictus est; securitatem, & salutem uni tantum Ciceroni acceptam quique fe-
rentes acclamabant; quod tantum, ac tam sævum ipsorum periculum discussis-
set. Et à Catone, tunc Tribuno plebis, Ciceronis Consulatus suis concionibus
summe laudatus, & amplissimis honoribus insignitus, Pater Patriæ primum
appellatus est. Hoc tamen Ciceroni vitio vertunt, quod seipsum sive in Sena-
tu, sive in concionibus, sive in judiciis, sive in scriptis, cæteroqui jucundissi-
mis, atque elegantissimis, semper laudaverit, & celebraverit: quod multo-
rum odium in eum peperit. Verum ut gloriæ cupidus in se laudando assiduus;
sic & in laudandis aliis candidus semper fuit.

Anno ab U. C. 696. Clodius genere quidem nobilis, sed stupris, aliisque
nefariis sceleribus infamis, ut à Judicibus accepta pecunia absolutus, & Tri-
bunus Plebis factus fuit, protinus Ciceronem, qui testimonium in ipsum di-
xerat, appetivit; corruptisque Consulibus Pisone, & Gabino, de Lentulo,
& Cethego non jure necatis Ciceronem in Senatu accusavit; ac dicta in eum
exfilii sententia, ipsum aqua, & igni interdixit, ac ne quis eum intra quingenta
millia passuum ab Italia teſto exciperet, lege sancivit. Sed cum id equester
ordo, populus, & Patres quidam ægre tulissent; Pompejo etiam mutata
sententia Ciceroni favente, ipse ab exilio revocatur, quod sexdecim, vel decem
menses, ut alii volunt, pertulerat. De Ciceronis reditu hæc notat Plut. in
Vita: Proditum memoriae est, nullam rem unquam tanto consensu scrivisse Po-
pulum. Senatus cum populo certans decrevit, ut bonos haberetur civitatibus,
quæ in Ciceronem, dum exsulasset, fuissent officiosæ, domus ejus; & Villæ, quas
diruerat Clodius, ut ex publico instaurarentur. Reversus ab exilio Cicero est
mense decimo sexto: tantaque municipiorum omnium lætitia, & favore homi-
num proditum ei obviam est, ut, quod jactavit postea Cicero, minus esset vero.
Ait enim, Italæ se humeris reportatum, &c. Reversus ab exilio orationem
ad Quirites unam, alteram in Senatu habuit: acta Clodii, tabulis
inscripta è Capitolio revellit; & Milonem, qui Clodium occiderat, defendit.
Hæc omnia anno ætatis suæ 50. patrata sunt.

Proconsul Ciliciæ factus anno Romæ 702. eximia integritate demandatam
sibi provinciam administravit: ubi ob partas victorias, fusos, fugatosque

Iatrones, qui Amasum tenebant, Imperator ab exercitu appellatus est.. Provincia inde decedens primum Rhodum appulit; postea pristinæ conversationis desiderio Athenas venit. Inde visis, quos ibi habebat, doctissimis Viris, & amicis, acceptisque eximiis à Græcia honoribus, Romam reversus est. Decretum sibi à Senatu triumphum recusans ait: *Malle se, facta concordia, Cæsar is sequi currum.* Civile tunc, atque omnium atrocissimum bellum inter Cæsarrem, & Pompejum erat: cui sedando cum Cicero, utrique scribens, nihil proficeret, diu hæsit dubitans, cuinam Principum magis adhæreret; ut ipse in Ep. inquit de se: *Utrò te convertas? Speciosam habet Pompejus, & honestam belli materiam: paratior est Cæsar, rectiusque sibi, & amicis consulit. Itaque quem fugiam, babeo, non babeo, ad quem fugiam.* Tandem Pompejum sequi decrevit, Catone improbante. Cæsar autem de Pompejo victoriam habens, Ciceroni ne dum indulxit, sed & summe coluit, & in caris habuit. Imo & Ligarium, Cæsaris hostem habitum, eximia Cicero oratione defendit, ac Cæsari reconciliavit anno 706.

Sed Romana per Cæsarem Rep. in Regnum conversa, Cicero publicis actionibus se abdicavit, ac totum se Philosophiæ studiis addixit, domi cum familiaribus vacans scribendis philosophicis libris, qui sunt: *Academicarum Quæstionum libri 2. De Finibus bonorum, & malorum libri 5. Tusculanarum Quæstionum libri 5. De Natura Deorum: De Divinatione: De Fato: De Legibus: De Universitate: Arati versus in latinum conversi: Q. Ciceronis de petitione consulatus, &c.* In quibus fere semper Platonem imitatus est per Dialogos scribens, Novæ Academiæ dogmatis addictus. De Cæsare (cujus gratia præ cæteris fruebatur) eversas, dejectasque Pompeji statuas erigi jubente, Cicero dixit: *Ipsum ex humanitate, dum Pompeji statuas erigit, suas stabilire.*

Cicero Terentiam uxorem repudiavit, quod ipsum in bello sine viatico dimiserit; & ne dum opitulata ei nunquam fuerit, sed & parum benevolam semper visa, atque domum ære alieno oppressam, dum è bello rediret, invenerit. Terentiā repudiata, virginem puellam duxit locupletem, cuius patrimonium Cicero, hæres fiduciarius institutus, administraverat. In Cæsaris necem Cice-ro, licet Bruto familiaris, non conspiravit.

Cæsare in Senatu à Bruto, sociisque interemto, Octavius Cæsar, Lepidus, & Antonius (qui Ciceronem summe oderat, tum quia Cicero, cuius maxima tunc Romæ potestas erat, ipsum exsulem Urbe expulerat; tum ob Orationes, Philippicas etiam nunc vocatas, contra ipsum habitas) Triumviratus potestatem naucti, Ciceronem proscripterunt, atque Astyra, maritimam villam, ei statuerunt, ut peteret, atque inde in Macedoniam iret ad Brutum una cum Q. Cicerone. Cicero ad Astyra delatus, & navigium ibi nauctus ad Circejos venit. Quum autem Q. Cicero domum rediret ad viaticum sumendum (necessariis enim omnibus destituebatur) à servis suis proditus percussoribus, interemtus est cum filio. Refert Plut. in Vita, nonnullos scriptores memoriz prodiisse, Pomponiam Q. Ciceronis uxorem, accepta ab Antonio potestate Philologum, viri sui proditorem, præter alia dira supplicia, proprias carnes paullatim præcidere, eas assare, inde vorare adegit. Sed, ut ad Ciceronem revertar, dum ipse fugam capiebat, ab Herennio Centurione, & Popilio Tribuno (quem parricidii reum quondam Cicero defenderat) sicariis ab Antonio missis, circumventus, necatus est Olymp. 184. anno Romæ 511. æta-tis 64. atque ejus capite, & manibus, quibus Philippicas scripserat, Antonii jussu præcisus, ea Romam Popilius adduxit; quæ membra pro rostris in Tribunali figi Antonius jussit, juxtaque coronata imago Popilii militis, qui eum occiderat, ut ait Euseb. in Chron. Horrendum spectaculum! Verum non longe postea

postea Cæsarem poenituit, quod in Ciceronis proscriptionem consenserat. Quare eum saepe laudavit, &c., debellato Antonio, Ciceronis filium Consul collegam cooptavit: in cuius Magistratu Antonii statuas Senatus dejecit, ac Ciceronis memoriam honoravit.

Scripsit præter Philosophica, de quibus supra, libros ad Rheticam pertinentes; ut sunt *De Oratore* 3. *De Inventione* 2. *De Claris Oratoribus*, sive *Brutus*, &c. *Orationes*, & *Epistolas*. Præterea libros tres versuum de iis, quæ sub consulatu suo acciderant, scripsit. Vide ejus *Vitam* apud cit. Plut. & *Vitam à Lambino*, & *Fabricio* compositam, & operum initio appositam. Omnium tamen primus Ciceronis *Vitam* tribus voluminibus scripsit, teste Pediano, Tiro Tullius ejus libertus.

Sunt & alia plura Ciceronis scripta opera, quæ non extant. Unde merito M. Anton. Muret. l. 15. variar. lect. c. 1. ait: *Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam, & mutilam. Inter amissos libros refero libros de Rep. quos viri erudit magnopere desiderant.* Et Lud. Vives addit: *Neque enim dubito, quin opus fuerit admirabile.* Et Erasm. Epist. 28. 1. de Ciceronis libris ait: *Quam illic est varia lectio voluminum, quæ doctissimi Græci de recte, beateque vivendo reliquerunt? quanta vis, quanta copia salubrium, ac sanctissimorum præceptorum? quanta cognitio, quantaque memoria priscarum simul, & recentium historiarum.* Tum autem quam altæ cogitationes de vera hominis felicitate, quæ plane declarant, illum hoc egisse, quod docebat. In Scaligerana tamen prima p. 49. Ciceronis libri Philosophici talem incurruunt reprehensionem: *Libros omnes Philosophicos Ciceronis nibil facio; nihil enim in iis est, quod demonstret, & doceat, ac cogat, nihil Aristotelicum, &c.* Vide Thom. Pope Blount in *Censura*.

ANTIOCHUS ASCALONITA.

QUAMVIS de Antiocho in hujus Hist. l. 3. c. 7. ubi de Academicis, actum sit; quia tamen Romæ docuit, atque ideo inter Romanos Philosophos recensendus hic est; quædam de ipso hoc loco subnectere opus erit. Vixit Antiochus Olymp. 165. ab U. C. 674. Hunc Cic. ejus primum Athenis, deinde Romæ discipulus pluribus commendat. Acad. Qu. 2. 6. ipsum ingenio, & scientia excellere ait: & ibidem 8. *Homo natura lenissimus, nihil enim fieri poterat mitius:* ibid. 36. *Antiochus in primis, qui me valde movet, vel quod amav̄s hominem sicut ille me; vel quod ita judico, politissimum, & acutissimum omnium nostræ memorie Philosopherum.* Et de leg. 1. 183. *Vir iste fuit ille quidem prudens, & acutus, & in suo genere perfectus, mibique ut scis, familiaris.* Idem Cic. se Antiochi discipulum fatetur Acad. Qu. 2. ubi: *Agam igitur, sicut Antiochus.* Nota mihi res est, nam & vacuo animo illum audiebam, & magno studio, eadem de re etiam sèpius. Quod confirmat l. 1. de Nat. Deor. &c alibi. Hoc tamen ei vitio vertit idem Cic. Ac. Qu. l. 2. 24. quod primum recens Academicus, deinde in multis Stoicus, tandem veteris Academiæ sectator fuerit. Ejus verba sunt: *Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit; tamen inconstantia levatur autoritas.* Et post pauca ibid. causam addit hujus inconstantiae, quod scilicet speraret, se novæ Sectæ autorem fore dicendum; inquit enim: *Quod erant, qui illum gloriæ causa facerent sperare, etiam fore, ut qui sequentur, Antiochii vocarentur.* Quæ omnia confirmat Plut. in Cic. inquiens: *Ut applicuit Athenas, Antiochum Ascalonitam audivit, volubilitate captus, & venustate ejus orationis: opinionum verò ejus non probavit novationem.* Jam enim à vetere, quem vocant, Academia desciverat Carneades Sectæ Antiochus deser-

desertor, vel evidētia permotus, & sensibus, vel, ut alii dicitant, ambitione aliqua, & dissentione cum Clitomachi, & Philonis discipulis, Stoica præcepta ubique fere mutata sententia amplexus. Cicero autem maluit illis inhærere, & illa sequi. Atticus, Ciceronis amicus, licet Secta Epicureus, Antiochi tamen familiaris fuit; ut ipsemet testatur apud Cic. de leg. 1. his verbis: Ergo si assentiris Antiocho familiari meo (magistro enim non audeo dicere) quo cum vixi, & qui ex nostris pene convellit hortulis, deduxitque in Academiam per pauculis passibus. L. Licinius Lucullus dum in Asia Quæstor esset, secum familiariter vixit; Suasitque ut Romam veniret, quod fecit, sicutque ibi magno in honore apud omnes; ut ex Cic. Ac. Qu. 2. 6. ubi de Lucullo loquens ait: Cum autem è Philosophis ingenio, scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor excellere: cum secum & Quæstor babuit, & post aliquot annos imperator. Et ibid. 44. Hæc tibi, Luculle, si es assensus Lucullo, familiari tuo, tam sunt defendenda, quam mœnia. Et paullò ante ipsum Antiochi etiam discipulum fecisse videtur, dum ait: Tamen expecto ea, quæ te pollicitus es, Luculle, ab Antiocho audita dicturum. Etiam M. Brutus ipsum in admiratione habuit perpetuo, ut Plut. in Bruto ait; Aristique sive Aristoris, qui Antiochi frater erat, disciplina usus est; ut infra in Bruto fusi. Scripsit librum de Academia, & alterum de Diis; atque alia. Vide cit. lib. 3. hujus Historiæ. Cic. Plut. in Cic. Strab. l. 16. Voss. l. 4. de Hist. Græc. & de Phil. Sect. c. 15.

L. LICINIUS LUCULLUS

Genere fuit illustris, avum enim habuit consularem; bellica virtute insignis, literarum studio præclarus; eloquens enim valde fuit, atque utraque lingua pollens, & exercitatus. Nam de eximia ejus eruditione hoc præcipue commemoratur, quod Hortensio cauſtidico, & Sisenna historiographo, suis in dicendi arte præceptoribus, professus est, proposito carmine, & oratione soluta, Græca pariter, & Latina, utram earum dictionum fors dedisset, ea bellum Marsicum se conscripturum. Atque obtigisse forte videtur ei Oratio Græca; ejus enim extat de Bello Marsico Historia Græce conscripta. Ætate verò proœctiore, inquit Plut. in Vit. mentem ex multis certaminibus laxatam ad ocium, & quietem detulit Philosophiæ, eamque ad rerum cognitionem exercitavit. Et ib. in fine clarius ipsum Platonicum memorat inquiens: Colebat ille quidem omnem Philosophiam, neque ab ullo genere abhorrebat, aut alienus erat: proprie tamen ab ineunte ætate dilexit, & secutus est Academiam, non illam, quam Novam vocabant, quamvis eo tempore Carneadis præceptis per Philonem floreret; sed veterem, quæ acrem antistitem, & facundum habebat Ascalonitem Antiochum, quem omni studio amicum paravit, & convicto rem Lucullus, qui eum Philonis opponeret auditoribus, in quibus erat Cic. qui librum admodum doctum pro Secta sua scripsit. In eo disputationem pro comprehensione Lucullo, sibi tribuit diversam. Titulus libri Lucullus est: siquidem erant hi summi amici, & consiliorum in Rep. socii. Plures bellieas expeditiones Lucullus, strenuus bellidux, sapiens, prudensque exercituum Imperator in Ægyptum, Pontum, & Asiam feliciter egit; urbibus, provinciis, regnis, & Regibus viatis, plurimis fuit victoriis coronatus. Inter subjugatos Reges magni illi numerantur Mithridates, Rex Ponti, qui tanta animi, & corporis vi pollebat, ut sex juges equos regeret, duabus & viginti linguis loqueretur, & omnes ferme milites proprio nomine vocaret: qui victus à Lucullo est a. U. C. 683. Et Tigranes, Rex Armeniae Mithridatis gener, de quo memorabilem tulit victoriā a. Romæ 685. Mithridates, inquit Flor. l. 3. c. 5. omnium longe maximus; quippe

quippe cum quatuor Pyrrho, decem, & septem anni Annibali suffecerint; ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Syllæ, virtute Luculli, magnitudine Pompeji consumeretur. Portentosum etiam hoc in Mithridatico bello cit. Flor. ib. narrat de Lucullo. Qui (horribile dictu) per medias hostium naves utre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix evaserat. Cyrenæis etiam leges dedit, quos cum tyrannide, & bello cruciatos offendisset, recreavit; eorumque Remp. constituit.

Verum non in finem usque hic vir Philosophia & armis optimus, felix fuit. Nam suis militibus seditionem facientibus, & ab ipso discedentibus, eos potissimum comitante P. Clodio, Luculli uxoris fratre, sed cum ipsa stupri consuetudinem habente, & dolente plurimum, quod in Luculli exercitu (sed ob suos nefarios mores, & quod esset multis inferior) primas non teneret; Romam redire à Populo Romano coactus est. Accessit etiam, quod qui Romæ in concionibus regnabant, per invidiam Lucullum criminabantur, imperii, & pecuniæ aviditate bellum ducere: unum propemodum Ciliciam, Asiam, Bithyniam, Paphlagoniam, Galatiam, Pontum, Armeniam, omnes denique provincias usque ad Phasim obtainere: nunc verò etiam Tigranis regias deprædatum: quasi ad exuendos Reges foret, non ad debellandos missus; ut ex Plut. habemus. Quare Populus Romanus provinciæ successorem Lucullo mittendum statuit; Pompejumque ad id decrevit. Senatui tamen, & optimatibus affici Lucullum injurya vilum est; cui non belli, sed triumphi successor mitteretur. Sed æmularum invidia prævaluit. Imo in tot partas Luculli victorias, Regesque subactos Romani adeo ingrati fuere, ut ei Romam ingredienti Triumphum, non ut aliis, pompæ prolixitate, & rerum traductarum copia portentosum, sed parum magnificum concesserint. Lucullus Romæ reliquum vitæ tempus degens, repudiata primum Clodia, lasciva, & improba uxore, Servilium duxit, Catonis sororem, quæ & ipsa flagitiosa, & lasciva, ab ipso tandem tolerari non potuit; Remp. abdicavit, ac deseruit; & placidissimæ, mollissimæque vitæ bonorum plenus, ex certaminibus, quæ tamen felicem exitum non habuerant, fessus se dedidit. Ædificiis, cœna, ludis, preciosa supellectili, luxu, comedationibus, quibus nunquam paria, diffuebat: ita ut ea contemplatus Tubero Stoicus, Lucullum Xersem togatum appellaverit. Et Cato Lucullo licet amicus, & familiaris, ejus luxum, & quotidianas cœnas non modo stragulis purpureis, poculis gemmatis, choris, & acroamatis accessoriis, sed obloniorum plurium, etiam belliorum apparatu magnificas, adeo improbabat, ut cum juvenis quidam odiosam, & prolixam orationem de frugalitate, & temperantia in Senatu intempestive haberet: Tace, inquit, qui divitiis affluis, ut Crassus, vivis ut Lucullus, & dicis ut Cato. Alii dictum quidem hoc ferunt, sed non à Catone. At commendandus est Pompejus, ait Plut. in Vita, qui ægrotans, cum præcepisset ei Medicus, ut turdo vesceretur, negarent autem servi æstivo tempore eas usquam, nisi in Luculli vivariis reperiri; prohibuit inde peti, & ad Medicum ait: Ergo nisi Lucullus perditus delictis esset, non viveret Pompejus? ac aliud, quod parabile esset, jussit parari. Liberalitate, & comitate eximus facilem se cunctis præbebat: exteris omnes, græcos præcipue magnificentissime hospitio excipiebat; atque ipsis necessaria cuncta splendide ministrabat. Bibliothecam librorum numero, & delectu commendandam, magnis impensis suo, & amicorum usui comparavit: cuius mentionem, ac laudes habet præ cæteris Cic. Denique senio confectus, & mœrore, quod Cicero in exsilium pulsus, & Cato in Cyprum missus fuerat, mente motus est; eique M. Lucullus frater, quem peramaverat, vitæ, ac bono.

bonorum curator designatus. Cornelius tamen nepos negat, ipsum vel senio, vel morbo mente motum fuisse, sed ex philtro, seu amatorio poculo, quod libertus Calisthenes ei ad amorem captandum potandum dederat. Obiit autem perquam senex; eique Romanus Populus, & optimates, de tanti viri morte dolentes maxime, justa honorificentissime persolverunt. Addam, quod habet Plut. in Vita: *Itaque rerum suarum gestarum commentarios ab se scriptos Lucullo dedicavit Sylla ad concinnandam, & digerendam politius historiam.* Sylla enim Lucullo amicissimus semper fuit; ejusque opera maximis quibusque in rebus perpetuo usus est; præcipue in monetæ negocio: Siquidem bello Mithridatico pleraque in Peloponneso per eum signata est, à quo Lucullia est dicta, diuque duravit in bello. Etiam moriens, præterito Pompejo, tutorem filio scripsit.

Sed cum scriptorum nemo Cicerone elegantius de Lucullo scripserit; libet hic ejus verba exscribere, quibus initio libri secundi Acad. Qu. editionis primæ, qui Lucullus inscribitur (quod in ea Lucullum de Philosophia cum aliis Philosophis differentem inducit) compendiariam ejus vitam, & laudes omnium doctissime sic habet. *Magnum ingenium L. Luculli, magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis, & digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxime potuit, caruit omnibus rebus urbanis.* Ut enim admodum adolescens cum fratre, pari pietate, & industria prædicto, paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus; in Asiam Quæstor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam laude provincie præfuit; deinde, absens factus Ædilis, continuo Prætor (licebat enim celebris legis præmio) post in Africam, inde ad Consulatum: quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, ingenium agnoscerent. Post ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modo opinionem vicit omnium, quæ de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum expectabatur, qui adolescentiam in forensi opera, quæsturæ diuturnum tempus, Muræna bellum in Ponto gerente, in Asiacœ pace consumserat. Sed incredibilis quædam ingenii magnitudo non desideravit in docilem usus disciplinam. Itaque cum totum iter, & navigationem consumisset partim in percunctando à peritis, partim rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rufus. Habuit enim divinam quamdam memoriam rerum, verborum majorem Hortensius. Sed quo plus in negotiis gerendis res, quam verba prosunt; hoc erat memoria illa præstantior: quam fuisse in Themistocle, quem facile Græciæ principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam, se artem ei memoriam, quæ tum primum proferebatur, traditurum, respondisse dicitur, obliuisci, se malle discere: credo quod bærebant in memoria, quæcumque audierat, aut viderat. Tali ingenio prædictus Lucullus adjunxerat & illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque ut literis consignamus, quæ monumentis mandare volumus; sic ille in animo res insculptas habebat. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumento, & apparatu, ut ille rex post Alexandrum maximus hunc à se majorem ducem cognitum, quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis, temperandisque civitatibus, ut hodie slet Asia Luculli institutis servandis, & quasi vestigiis persequendis. Sed et si magna cum utilitate Reip. tamen diutius, quam vellem, tanta vis ingenii, atque virtutis peregrinata absuit ab oculis & fori, & curiæ, quin etiam cum victor à Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius, quam debuerat, triumphavit. Nos enim Consules introduxiimus

ximus pene in Urbem currum clarissimi viri: cuius mibi consilium, & autoritas quid tum in maximis rebus profuisset, dicerem, nisi de me ipso dicendum esset: quod hoc tempore non est necesse. Itaque privabo illum potius debito testimonio, quam id cum mea laude communicem. Sed, quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt & græcis literis, & latinitate celebrata: nos autem illa exteriora cum multis, hæc interiora cum paucis ex ipso saepe cognovimus: majore enim studio Lucullus cum omni Literarum generi, tum Philosophiae deditus fuit, quam, qui illum ignorabant, arbitrabantur: nec verò in eunte ætate solum, sed & Proquaestor aliquot annos, & in ipso bello, in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub spissis pellibus occii relinquatur. Cum autem è Philosophis ingenio, scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere; eum secum & Quæstor habuit, & post aliquot annos Imperator. Cumque esset ea memoria, quam ante dixi; ea saepe audiendo facile cognovit, quæ vel semel audita meminisse potuisset. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. Ac vereor interdum, ne talium personarum, cum amplificare velim, imminuam etiam gloriam. Vide Cic. l.c. alibique pluries, Aur. Viæt. de Vir. illustr. c. 74. Plut. in Vita, Flor. l.c. aliosque.

M. BRUTUS

Stemma ad Junium Brutum refert generis autorem, cui prisci Romani in Capitulo medium inter Reges posuere statuam ex ære, quæ strictum tenet ensem: quod fortissime regno pepulisset Tarquinios . . . Mater ejus Servilia genus repetebat à Servilio Hala, &c. Plut. in Vita. Sunt, qui ob necem Cæsaris odium in Brutum exercentes, inter quos Dionysius Halicarnasseus, hanc stirpis originem Bruto non consentiunt: quos tamen Posidonii autoritate refellit Plut. ibid. Sed ante ipsos Cic. in Philip. Oration. & de Claris Orat. eum patricium, & ex Junio Bruto genus ducentem dixerat. Floruit circa annum Romæ 700. Magno fuit, lenique ingenio, nam doctrina, & Philosophiae præceptis mores temperaverat. Avunculus ei fuit Cato Philosophus, Serviliae frater, quem simulatus est: quem etiam comitatus est adhuc adolescens, dum ille in Cyprum contra Ptolemæum missus est. Cæsari carus semper fuit matris suæ Serviliae causa, quam Cæsar peramaverat: imo & suus ex Servilia filius ab ipso censebatur, ut notat Plut. ibid. Hinc etsi contra Cæsarem Pompeji castra secutus; ab eo tamen veniam saepe obtinuit, & præ cæteris dilectus extitit; suis enim ducibus Cæsar præcepit in pugna, ut parcerent Bruto, & incolumem ad se adducerent. Sic ex pugna Pharsalica à Cæsare servatus, & inter præcipuos amicos in honore habitus est; atque Galliæ Cisalpinæ Præfectus ab eo factus. Brutus cum Cassio, qui Juniam sororem suam in matrimonio habebat, de Praetura contendit. Erat Cassio à prima ætate ingenitum odium ad versus Tyrannorum gentem: quare ut Patriam à Cæsar's tyrannide liberaret, Brutum cum aliis in Cæsar's necem conjuratis sibi adsociavit. Sed omnes Ciceronem de hac in Cæsarem coniuratione celaverunt. Cæsarem igitur in Senatu interfecerunt an. U. C. 710. ante Chr. 44. ac in Capitolium fugerunt sanguinolentis manibus nudos præferentes pugiones, civesque in libertatem adduxerunt. Multi ex Patribus, & popularibus fidenter ad eos in Capitolium ascenderunt: ad quos Brutus orationem habuit blandam, ac factis consentaneam. Ipsis autem eum laudantibus, & ut in forum descenderent, precantibus, fidenti animo in forum descenderunt, quod frequentes Principes circumfusi ipsos perquam magnifice deduxerunt. Bruti conspectum plebs reverita est; ipsique exorso dicere

omnes silentium, attentionemque præstitere. Cum autem Brutus non adhuc plebi tuto se crederet, & ipse, & socii Capitolium Principibus stipati reperierunt. Metuens tamen h̄ic obsidionem, remisit optimos quoque ne & ipsi facti exsortes periculum secum subirent. Verūm omne sustulit periculum Senatus, qui postridie in Āēdem Telluris coactus, cum Antonius, Plancus, & Cicero de præteritorum oblivione verba fecissent; non modo illis impunitatem decrevit, sed & ut Consules de illorum honoribus referrent. Dimisso Senatu, Antonius filium suum in Capitolium ipsis misit obsidem; sicque iterum Brutus cum sociis descendit, salutationesque & amplexus omnium habuit. Postquam illuxit, iterum Senatus convenit, qui gratias Antonio egit, quod belli civilis initium sedasset; ac Brutum, & socios præsentes laudibus celebravit, atque singulis ipsorum Provincias demandavit: decrevitque Bruto Cretam, Africam Cassio, Trebonio Asiam, Cimbro Bithyniam, Decio Bruto Galliam Circumpadanam. Brutus, & socii sibi paventes Urbe excesserunt, manseruntque prius Antii, ut simul atque elanguisset, & defervisset ira populi, Urbem redirent. Sed Octavio, Cæsaris ex sorore nepote (quem Cæsar tabulis filium, & heredem nuncupaverat) recepto nuncio de ejus nece, Romam veniente, Brutus Antonii, Octavii, & plebis iram metuens, Athenas se contulit: Eum populus Atheniensis propenso animo, festisque vocibus, & decretis exceptit. Diversatus est apud hospitem quandam suum, audiens Theomnestum quandam Academicum, & Cratippum Peripateticum, unique cum his vacans literis omnino feriari videbatur, & ociari: verum in occulto parabat bellum. Nam in Macedoniam Herostratum ad conciliandos eos, qui præerant ibi exercitibus, misit: & adolescentes Romanos, qui Athenis operam dabant literis, fovebat, sibique adjungebat; in quibus erat Ciceronis filius, quem laudibus in cælum fert, aitque sive vigilet, sive dormiat, mirari se illum adeo fortem juvenem, & Tyrannis infestum. Opem quoque ad parandum bellum sibi attulit prætor, vir probus, sibique familiaris, qui ex Asia cum navigiis Romanis, argento onustis Athenas cursum dirigebat; cui circa Caryston occurrit, sibique cum navigiis adjunxit. Brutus, & Cassius junctis copiis pugnantes, Rhodos, Lycios, Xanthios, aliosque superarunt. Brutum ex oblate sibi adhuc vigilanti horrendo spectro (quod interrogatum ab eo, quis hominum, vel Deorum esset, respondit: Tuus sum, Brute, malus Genius, in Philippis me videbis) animo hærentem lenivit Cassius, qui præceptis imbutus Epicuri, & de his pugnare solitus cum Bruto, inquit, neq; hæc vera esse, neq; vere existere, sed à nostra imaginatione formari; mens enim & quod fingitur, & quod fingit, in se habet. Quod Spectrum, iterum, ut promisit, sed mutum se in Philippis Bruto obtulit, pridie quam ultimo bello Brutus superaretur. Verum & alia infasta prodigia Bruto, & Cassio oblata infelicem belli cum Cæsare, & Antonio futuri exitum prædixerunt. Enimvero in Campis, quos Romani Philippos vocant, in Urbe scilicet Macedoniae, castra Cæsari ex adverso Brutus, Cassius Antonio posuit; unde & hoc bellum Philippense vocatur; eodem nempe loco, qui Cn. Pompejo fatalis fuerat. Hinc Virg. 2. Georg. 490. Romanas acies iterum videre Philippi. Comissa acie ardore pari aliquamdiu dimicatum fuit, ac primo quidem par utrinque discrimen, & anceps prælii exitus visus est. Deinde post variam prælii fortunam Cassius, & Brutus à Cæsare, & Antonio superati; Cassius liberto suo Pindaro caput obruncandum præbuit; Brutus comitum suorum uni Stratoni dicto confodiendum tradidit latus, postquam secundum, & hoc navale prælium cum Cæsare, & Antonio Brutus solus commisit, in quo victor quidem prius erat, sed victoriae ignoratio, ut advertit Plut. eundem perdidit: Sicque fortissimi sagientissimique viri, virtute pares, pari

pari etiam infortunio diem ultimum obierunt an. U. C. 712. Porcia vero Bruti uxor, & consobrina, nam Catonis Philosophi, Serviliae fratri, filia erat; quæ ardenter, & plusquam verbis dici possit, virum amabat, auditu de viri morte nuncio, se ipsam occidere decrevit; sed cum à propinquis, & amicis arma omnia è domo ablata fuissent, & caute servaretur, ne sibi mortem inferret; ipsa ardentibus carbonibus è foco abreptis, & ore clauso, & compresso dentis, obiit, ut Nicolaus Philosophus, Valer. Max. & Plut. in Bruto testantur. Dederat & alterum perfecti, ardentesque in suum Brutum amoris signum, cum hic Cæsarem necare statuit, accepto cultello, quo unguis tonsores rescindere solent, & omnibus è cubiculo exactis pedissequis, altum femori vulnus infligens, ex quo sanguinis magna effluxit copia, dolores ingentes, gravisque febris mox fecuti; sicque periculum suæ constantiæ fecisse dixit, & an digna Catonis filia, & Bruti conjux essent, quæ, si in necando Cæsarem vir periret, se ipsam paveret interimere. Trepidantem deinde Brutum, & discruciatum, quod dolor esset intensissimus, sic affata est: *Ego, Brute, in domum tuam Catonis filia nupsi, non sicut pellices ad lechtantum, & mensæ consortium, sed etiam ad prosperorum, & adversorum societatem, &c.* Sic fata ostendit ei vulnus, & quod fecisset sui amoris, & constantiæ periculum exposuit, quo probaret, se ad dolorem esse invictam. Brutus tam grande amoris, magnique animi potentum miratus attonitus, Deos precatus est, ut consilio suo adesse vellent, quod dignum se Porcia præstaret virum. Neque hoc tam mirum videtur infemina, quæ muliebri sexu superiorem habebat animum, ac Philosophiæ, cui totam se addixerat, præceptis imbutum. Porcia ex primo viro (Brutus enim ipsam adhuc adolescentulam priore viro defuncto duxerat) filium habuit, cui Bibulo nomen fuit; cuius extat commentarius rerum à Bruto gestarum.

In Philosophia Veterem Academiam secutus est, Præceptorem namque Athenis habuit, præter dictos, Aristum. Qualis autem, ac quantus in Philosophia vir fuerit, ostendunt præ cæteris Plut. & Cic. Et ille quidem in vita hæc habet: *A Philosophorum Græcorum nulla Secta, ut semel dicam, audienda peregrinus, aut alienus fuit: præcipue verò a seclarum Platonis extitit studiosus. Ac Nova, & Media, quam vocant, Academia parum probata, Veterem sectatus est: & Antiochum quidem Ascalonitam in admiratione habuit perpetuo; fratrem verò ejus amicum, & convictorem paravit Aristonem, eruditio sine excellentia multis Philosophis inferiorem; at modestia, & placiditate comparem vel principibus.* Et post pauca ipsum Oratorem, & in scribendis epistolis peritum ostendit, inquiens: *Latine fuit Brutus ad castrensem, & forensem dictionem satis exercitatus. Græce verò concisam, & laconicam dicendi brevitatem notatus est in Epistolis interim captasse.* Cic. verò Acad. Qu. i. 30. sic de Bruto; quem cæteroqui summe diligebat: *Brutus quidem nosfer excellens omni genere laudis, sic Philosophiam latini literis persequitur, nihil ut iisdem de rebus Græca desideres. Et eandem quidem sententiam sequitur, quam tu; nam Aristum Athenis audivit aliquamdiu; cuius tu fratrem Antiochum.* Et i. de Fin. 60. & ipsum laudat, & librum de Virtute ab ipso elaboratum, & ad se missum memorat, inquiens: *Ego autem quem timeam lectorem, cum ad te, ne Græcis quidem cedentem in Philosophia audeam scribere? quamquam à te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mibi libro, quem ad me de virtute misisti.* Cum ex allatis Plutarchi, & Cic. testimoniosis clare pateat, Brutum Platonicum fuisse; nescio quo innixus argumento M. Moreri ipsum Stoicam Philosophiam reliquis prætulisse afferat. Scripsit Brutus præter dictum de virtute librum, Annales etiam Fannii, & Cœlii, &c.

PLUTARCHUS

Chæroneæ Boeotiae natus, Trajanè Cæsaris principatu vixit, atque etiam ante eum. Dedit ei Trajanus dignitatem Consularem; mandavitque ne quid ille, qui cum imperio præfasset Illyrico, nisi de hujus sententia ageret. Scripsit multos libros, in quibus Vitarum Comparatarum pulcherrimam, atque summe frugiferam Historiam. Ex Suida. Meminit idem avi sui Lampræ, & Nicarchi proavi. Philosophus, Historicus, & Orator perhibetur eximus. Postquam sub Ammonio multum in Philosophia profecit; Græciam, & Ægyptum lustravit, ut doctos nosceret, ac doctrinas edisceret: ac quicquid in hac peregrinatione notatu dignum invenit, literis consignavit. Inde Romam venit, ubi ab omnibus, Trajano præcipue magni æstimator fuit: imo & ejusdem Imperatoris præceptor à quibusdam traditur; unde Dempster. in Elench. scriptor. ait: *Plutarchus Chæroneensis, Trajani Principis educator, Philosophus, Historicus, Politicus, Antiquarius summi, litmatissimique judicii.* Verum cum non Græca, sed Latina Epistola sit, in qua Plutarchus Trajani præceptor dicitur; peritissimi Critici jure dubitant de hujus rei veritate, atque hanc Epistolam non Plutarchi, sed alterius esse contendunt. Fertur etiam Chæroneæ Prætor, sive Archon fuisse; ibique obiisse valde senex: nam Divus Hieronym. affirmit, ipsum ad tertium Adriani annum vixisse: alii usque ad Antonini Pii imperium vitam perduxisse ex eo evincunt, quod ipse in Tractatu *An senes Reip. regimen ferre possint*, scriptum reliquit.

Autores vel etiam Critici Plutarchum uno ore laudibus ornant dignis. Voss. de Hist. Græc. Sane fuit Plutarchus vir undecumque doctissimus; idem Philologus, Philosophus, & Historicus summus. Magnam enim horum trium scientiam undique ejus spirant scripta. Quin etiam habitus fuit Orator bonus. Tamen dissimulare non possum, dictionem ejus gravem quidem esse, sed duriasculam videri. Verum leviculum hunc defectum multijuga adeo scientia abunde summus vir compensat. Scaligerana prima p. 174. Plutarchus totius sapientiae ocellus. Jacob. Palmer. in Exercit. ad Plutarch. Lysandr. Φιλοβούτης (hoc est Boeotiae amicissimus) fuit Plutarchus, & patriæ suæ gloriæ semper veſtificatur. Lips. in Not. ad l. i. Politic. c. 9. Inter Græcos medios Plutarchus est; qui non Historiam proprie, sed particulas Historiæ scripsit, & ablegit Illustrium Virorum vidas. Sed dignus tamen, si quis aliis, Principe scriptor: qui judicium mirifice format, & diffusa, ac plana quadam scribendi via ad virtutem ubique ac prudentiam ducit; sed ad illam magis, &, ni fallor, melior omnino, quam acutior doctor. Jacob. Pontan. Adnotat. ad vol. 2. Progymn. 44. Quid Plutarcho excogitari potest eruditius? quid fuit unquam post homines natos sapientius? Viv. de Trad. Discipl. l. 5. Plenus est autor ille rerum, plenus monitorum ad virtutem. Scripsit magnus hic Philosophus, & dignus Ammonii discipulus Ethica, Historica, & Politica, quæ duobus tomis Gr. Lat. continentur. Vide, præter citatos Autores, Photium Cod. 245. 259. & 269. Marc. Ant. Muret. vol. 2. Orat. 15. Petr. Victor. var. Lect. l. 23. c. 21. Bodin. Meth. Hist. c. 4. p. 62. Claud. Verder. Cens. in Autores. Joh. Ruald. in vit. Plutar. &c. Illud non præteream, quod habet Roland. Mares. l. 1. Epist. 24. Ego quidem cum Theodoro Gaza sentio, qui interrogatus, si libri omnes perdendi essent, & ipsi optio daretur, quem servatum vellet, respondit, Plutarchum. Est enim vere Thesaurus eorum, quæ præstantissima in omnibus aliis scriptoribus sparsim inveniuntur, sive Philosophiam, & alias disciplinas, sive Historiam Græcam, & Romanam species. Tanto vero judicio pollet, &c.

CLAUDIUS GALENUS

Pergamenus, quia ex Pergamo, Asiae Urbe, insignis Philosophus, Medicus insignior fuit; qui sub Trajano usque ad Antoninum Pium, & juxta Suidam, etiam usque ad Marcum (Antoninum scilicet Philosophum) Commodum, & Pertinacem Cæsares Athenis, & Romæ floruit. Niconis, celebris Geometræ, & Architecti Pergameni filius extitit. Dialecticam, omnesque Philosophiæ partes primum didicit, in quibus maxime profecit; deinde verò Medicinæ sub Satyrone, aliisque sui ævi celebrioribus medicis, operam dedit. Alexandriam petiit insigne tunc scientiarum emporium, ac literatorum domicilium, ut literas, & literatos ejus urbis coleret. Inde Romam venit, ibique annum agens quartum supra tricesimum plura volumina composuit. Anno Christi 137. in Asiam rediit: sed paulo post urgentibus Veri, & Marci Antonini epistolis iterum Romam accitus, ibi ad ultimi mortem mansit: Quo defuncto in Patriam reversus est, ubi & confenuit. Cum infirmæ valetudinis esset, sobrius, frugalisque vivens, ætatem ad septuagesimum, & juxta alios, ad quadragesimum & centesimum annum traduxit; id hi primis observando, ut nunquam stomacho undique pleno è mensa surgeret, ut ipse in suis operibus testatus est. Incomparabilis profecto vir, magnusque Philosophus, qui omnium Sectarum secreta noverat: quod vel ejus opusculum de Historia Philosophiæ demonstrat. Verùm cum periculosissimum morbum, quem fluxionem vocant, sola sanguinis missione expulisset, atque epilepticos radice Pæoniæ collo suspensa sanasset; Magiæ suspicione notatus, Roma discedere coactus est. Pergami obiit anno Christi 200. Hofmannus vero anno 140. ætatis 70. obiisse affirmat. Methodum medendi invenit, quam nostro etiam ævo plures sequuti sunt, qui Methodici, & Galenistæ exinde dicti sunt. Judæorum, & Christianorum hostem professum vocat ipsum Hofmannus in Lexic. Et quidem eos summe oderat, quod incomprehensibilia, & quæ demonstrari nullo modo possunt, ut cæci crederent. Sed quam inepte id affereret, quisque videt, cum Fidem cum Scientia perperam confunderet. Si enim nostra Christianorum Fides nobis credenda argumentis demonstraret, jam non fides, & meritorum parens, sed pura scientia esset. Sed ad Galenum redeamus. Cum sæva pestis Romæ grassaretur; Galenus inde statim discessit, tutiorem putans fugam, quam incerta artis remedia.

Scripsit volumina bis centum, ut ex duobus libris, in quibus de suis operibus agit, apparet: quæ tamen in Templi Pacis incendio periere. Suidas refert, ipsum præter Philosophica, & Medica, Grammatica etiam, & Rhetorica scripsisse. Ex iis, quæ extant, jam cunctis nota recensenda non duxi, quæ Græcè Tom. 5. Latine Tom. 7. in fol. extant. Silentio tamen non prætereunda ejus *Historia Philosophiæ*.

Galenum Alexander Trallianus *divinissimum*, quoties eum nominat, appellat, teste Zacuto Lusitano: Casaubonus *Criticorum non minus*, quam Medicorum *Principem*: Cardanus *Unum ex duodecim subtilissimis orbis ingenii*. Præcipua de Galeno Autorum testimonia hæc sunt. Vossius de *Philosophia* cap. 12. sect. 19. *Hoc nemo plura, ac majori undique doctrina* scripsit; ut de eo sa tius sit tacere, quam plura addere. Cælius Rhod. *Philosophus, ac Medicus singularis, cuius scientissima, & plurima extant ingenii monumenta, quæ genuinam sapiunt eruditionem: memorie proditum à nonnullis, cibi, & potus abstinentia centum, & 40. annos vitam protelasse, & odorificum semper anhelitum spirasse*. Unde *Adagium*, ut Galeni valetudinem dicamus pro ea, quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisque invicta. Lud. Viv. de Trad. discipl.

discipl. *Fusus est Galenus plenusque verborum, nempe Asianus, sed bonorum, atque elegantium.*

T H R A S Y L L U S

PHliasius, sive Mendesius, quem Tacit. Thrasullum vocat, Platonicis Philosophis à Cozzando lib. 1. cap. 9. de Magist. Antiqu. Philosoph. adnumeratur. Verùm hoc de ipso inter Autores constat, fuisse Astrologum celeberrimum, & Tiberio propterea carum: illi enim ne dum varia prædixit, sed cogitationes etiam novit, & patefecit. Memorabile illud, quod de eo Dion Nicæus in Augusto, & Tacit. 6. Annal. referunt. Et primus quidem loco citato de Tiberio, dum in Rhodi insula ab Augusto relegatus morabatur, hæc habet: *Is propter stellarum cognitionem erat Vates exercitissimus, habebatque Thrasillum, virum in Astronomia peritissimum, qui sciebat optime, quid sibi, atque illis esset eventurum.* Nam ferunt, Tiberium aliquando statuisse Rhodi Thrasillum è muro præcipitare, quod is solus omnes cogitationes ejus cognosceret: sed ut cum mæstum esse animadvertisse, rogavitque caussam mæroris, atque is respondit, se periculi cuiusdam suspicionem habere, Tiberium admiratum, quod proposuerat, non fecisse. Sic enim omnia certò sciebat, ut cum vidisset procul navem, in qua nuntius vehebatur, quem de reditu in Urbem mater, & Augustus ad Tiberium mittebant, statim, quod ille nuntiaturus erat, prædixit. Tacit. vero loco citato Thrasulli in Chaldæorum arte peritiam memorans ait de Tiberio: . . . *Scientia Chaldaeorum artis, cuius apiscendæ ocium apud Rhodium magistrum Thrasillum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus: Quoties super negocio consultaret, edita domus parte, ac liberti unius conscientia utebatur.* Is literarum ignarus, corpore valido, per avia, ac derupta (nam saxis domus imminet) præcebat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset; & regredientem, si vanitatis, aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasillus iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi, & futura sollerter patefaciens; interrogatur, an suam etiam genitalem horam compriisset; quem tum annum, quem diem haberet? Ille positus siderum, ac spatio dimensus, hævere primum, dein pavescere; & quantum introspiceret magis, ac magis trepidus admirationis, & metus, postremo exclamat, ambiguum sibi, ac prope ultimum discriminem instare. Tum complexus eum Tiberius, præscium periculorum, & incolumem fore gratatur; quæque dixerat, Oraculi vice accipiens, inter intimos amicorum tenet. A filio etiam ejusdem Thrasulli prædictum Neronis imperium refert Tacitus ibidem. Thrasylli meminit etiam Juvenalis Sat. 6. & ejus Scholia; Sueton. &c.

A R I S T I D E S

PHilosophus, Patria Atheniensis, Secta Platonicus, religione Christianus fuit. Ut Christi Evangelium per Philosophiam propugnaret, præclararam *Apologiam* pro Christianis composuit, quam Adriano Imperatori obtulit: Eam memorat Euseb. in Chron. & Hist. lib. 4. cap. 3. & 5. atque suo etiam tempore extare asserit Divus Hieronym. de Script. Eccles. 5. 20. atque alibi. Vide etiam Baronium in Annal. & Martyrol. Verba Eusebii in Chron. pag. 76. sunt: *Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis noster Philosophus, libros pro Christiana religione Adriano dedere compositos.* Et Serenus Granius Legatus, vir apprime nobilis, literas ad Imperatorem mittit, *iniquissimum esse,*

esse, dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine nominis tantum, & seculæ reos fieri. Quibus commotus Adrianus Minuto Fundano Proconsuli Asia scripsit, sine objectu criminum Christianos non condemnandos. Cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum.

A P O L L O N I U S

Senator Romanus, genere quidem clarus, clarius tamen pietate, spiritu, ac Christiana religione fuit: quam, non secus, ac modo dictus Aristides, ac plurimi eo tempore Platonicorum per Platonicam Philosophiam defendit. Cum enim à quodam servo suo Christiani nominis reus delatus esset; Senatus *Apologiam*, quam pro Christi fide tuenda confecerat, exhibuit. Unde & Martyrii coronam, obtruncato capite, promeruit anno Christi 186. vel 190. sub imperio Commodo. Perperam tamen Nicephorus, ut Hieronym. & Euseb. advertunt, hunc cum Apollonio confundit, doctissimo quidem viro, qui *Insigne*, & *longum volumen*, ut Hieronym. ait, in Montanum, Priscillam, & Maximilliam, quæ Montano pro Prophetis erant, composuit anno Christi 213. sub Commodo, & Severo.

Diversus autem ab his fuit *Apollonius Chalcidensis* Philosophus Stoicus, Imperatorum Marci Antonini Philosophi, & L. Veri præceptor sec. 2. qui totis viribus conatus est Bardesanem Syrum e Christiana religione dimovere. Hic verò ne dum Apollonio Apostasiam suadenti, restitit; sed plures Tractatus composuit, quibus Christianam religionem tueretur. Scripsit enim contra Valentimum, Marcionitas, aliosque sui ævi hæreticos. Verum id suo malo factum est, ut eosdem hæreticorum errores, quos oppugnaverat, propugnaret; imo & hæresiarchæ infamiam nactus, doctrinæ suæ seculatoribus Bardesanistarum nomen reliquit. Scripsit etiam Bardesanes præclarum opus, quod Hieronym. admiratus est, contra Abydam Astronomum, Imperatori M. Antonino dicatum.

Fuit & alter Bardesanes Babylonius, qui sec. 3. vixit tempore Alexandri Severi, & Tractatum de Brachm. & Gymnosoph. composuit. Sed ad Apollonij redeamus. Hic cum ab Antonino Pio accitus Chalcide Romam venisset; sui plenus Imperatori ait, non quidem decorum esse, magistrum ad discipulum visendum venire, sed contra. Quam ejus vanitatem Imperator despiciatam habens, ridens subdit, Apollonio facilius fuisse Chalcide Romam venire, quam ex hospitio in Palatium regium. Multa vero Imperatoris gratia illi fuit. Vide Jul. Capitol. in Marco Antonino, & alibi.

A T H E N A G O R A S

ATheniensis Presbyter, Philosophus Christianus, Romam ad Christianorum defensionem circa annum 170. veniens, *Apologiam* confecit, quam ipsorum innocentiam, & morum probitatem ostendit; eamque M. Antonino obtulit. Autor etiam est operis *De Resurrectione mortuorum*: quod opus tum seorsum editum, tum Bibliothecæ Patrum insertum habetur. Baron. testatur, *Apologiam* ab Athenagora Imperatori traditam fuisse anno 179. sed probabilius videtur, id paucis antea annis fuisse. *Apologiam* Latinam fecit Conradus Gesnerus, & Suffridus Petri. Tractatum vero de Resurrectione Nannius, & Henricus Stephanus. Vide Trithemium, Bellarm. Possev. Le Mire, &c.

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ

MAXIMUS TYRIUS

Sic dictus à Tyro, Phœniciae Urbe, tibi natus est. Philosophus hic Platonicus Romanum venit anno Chr. 146. ibique Apollonium, Arrianum, aliosque Philosophos familiares habuit. M. Antoninus Imperator Maximi discipulus fuit, eumque & gratia, & honore dignum fecit. Fertur vixisse ad Commodo usque imperium; ac 41. Dissertationes scripsisse, quæ adhuc extant, quas Cosmas Pazzi, sive Paetius initio sec. 16. traduxit: eas tamen mendis expurgatas correctiores edidit, ac notis illustravit Heinrichus an. 1624. Notandum hic, Suidam, & hunc secutos Cosmam Paetium in ejus vita ad Julium Secundum Pontificem Maximum, & Raphaëlem Volaterranum, referre, Maximum Tyrium non sub Antonino Pio, ut putat Eusebius in Chron. sed sub Commodo vixisse. Et quidem Suidas de Maximo Tyrio hæc habet: *Maximus Tyrius Philosophus docuit Romæ sub Commodo: Scripsit in Homerum: est & ejus Antiqua Philosophia, &c.* Occasione Maximi Tyrii, qui Romæ docuit, de aliis hujus nominis Philosophis hic agere, quamvis non esset his locus, facultas sit.

Maximus Ephesus, Aedesi auditor, Philosophus Cynicus, idololatra, & magicus, sec. 4. vixit, ac cum Juliano Apostata in Urbe Nicomediæ familiariter egit: cui in Christianam religionem odium inspiravit. Julianus Maximum tanti fecit, ut ei ad se venienti obviam iverit. Ipsum etiam sibi consiliarium, ac operum suorum censorem elegit: certus enim ab ipso redditus erat, se ad imperium perventurum. Cum autem Julianus Persis bellum indicere in animo haberet, plura consuluit oracula de bello gerendo: verum audiens à Maximo, ipsum insignem de Persis triumphum, atque Alexandri Magni similem consecuturum, sui plenus adeo fuit, ut certo certius duxerit, Alexandri animam per Metempsychosim suum ipsius corpus subiisse. Sed tandem miserrime obiit impius Julianus anno 363. frustra adhibitis Magici consiliis, quibus adductus tot, ac tanta in Christianam religionem mala patravit. Jovianus, Juliani successor, Maximum etiam ob suam virtutem magno habuit in honore. Verum male habuit à Valente, qui edictum contra Philosophos magos promulgavit: unde ipse Ephesum rediens, justam suorum scelerum pœnam passus est, ibi moriens anno circiter 366. Eunap. in vit. Philosoph. Socrates, Sozomenus, &c.

Maximus Alexandriae natus, & ipse Cynicus, sed Christianus fuit. Hic vaserrimus cum esset, Constantinopolim circa annum 379. ac Martyris filium se esse simulans, atque pro Christi fide in solitudine Oasis exsilium sustulisse; à Gregorio Nazianzeno humanissime acceptus, & eadem cum ipso mensa dignus fuit: ipsum enim ut Christi defensorem habebat; unde & publica oratione ipsum laudavit. Atqui Maximus tot Gregorii beneficiis ingratus, ipsum de Episcopatu detrudere, & se in ipsum intrudere contendit. Quare ad Imperatorem Gratianum venit, Mediolani tunc commorantem, eique ut sibi gratiosus fieret, librum contra Arianos obtulit, quem Hieronym. summe laudat. Deinde Constantinopolim rediens, ibi à septem Episcopis, à Petro Alexandrino, Maximum protegente, missis, Episcopus creatus est clam populo, & Gregorio ruri degente. Hinc schisma in Constantinopolitana Ecclesia ortum, Presbytero quodam, qui Gregorio infensus erat Maximum tutante. Sed à Gregorio, & à populo ut seditiosus Constantinopoli ejectus, à Petro Alexandrino, magni tunc nominis Episcopo, derelictus, & à Theodosio, Gratiano in Imperio socio, minis affectus, in Apollinaris haeresim incidit. Quare ab Episcopis damnatus, misere obiit. Vide Greg. in sua vita, & Orat. ad Maximum; Cassiod. Baron. &c.

Deni-

Denique *Maximus Epirotæ*, sive *Byzantius*, *Philosophus*, *Magister Juliani Cæsariorum Apostolatæ*, scripsit de *Insolubilibus Antithesisbus*, de *Exordiis*, de *Numeris*, *Commentarium in Arist.* & alia quædam ad eundem *Julianum*. Verba sunt Suidæ in Maximo. Secta Platonicus fuit.

S. JUSTINUS MARTYR

Philosophus insignis, Secta Platonicus (quam Sectam plurimi SS. PP. primis Ecclesiæ seculis secuti sunt) natus Neapoli Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, ad Christum vero conversus cum Christianorum in Martyriis perferrendis constantiam miraretur. Non philosophica tantum scientia, sed & habitu quoque philosophico ornatus erat, referente Suida; quo etiam habitu Christum prædicabat, teste Eusebio: cuius fidem, & vitæ probitate, & doctissimis Apologiis ad martyrii coronam usque propugnavit. Cum enim sub Antonino Pio magna in Christianos persecutio orta esset, ipse duas Apologias ad Imperatorem, & Senatum composuit, quibus Christianam religionem innoxiam, justam, & sanctam probavit, & Christianos à criminibus vindicavit, quæ falso ipsis Ethnici objiciebant, potissimum vero Crescens Cynicus; ut præter cæteros testatur Euseb. ad an. Chr. 154. his verbis: *Crescens Cynicus Philosophus, qui Justino, nostri dogmatis Philosopho, qui se gulosum, & prævaricatorem Philosophiae arguebat, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem fudit.* Martyrium Justinus ponit Morery ad an. Chr. 163. Cal. Jun. ex Menologio Græco, vel Id ib. April. ex Martyrol. Romano; Eusebius tamen in Chron. ad annum 154. alii ad annum 164. Apologias tamen Antonino tradidit circa annum 140. vel 143. ut vult Euseb. Romanorum autem Philosophis Justinum adnumeravimus, quia ἡτοὶ εἰ τῷ Πόμη ἔχων τὰς διατεθέσις, &c. hic Romæ babens exercitationes, &c. inquit Suidas.

Scripsit, præter dictas duas *Apologias* pro Christianis, plurima, quorum alia quidem genuina, alia dubia, alia supposititia, alia extantia, alia non; quæ Suidas, & alii memorant. Ea vero Gul. Cave sic partitur. Opera genuina sunt *Parænesis ad Græcos*. *Elenchus*, sive *Oratio ad Græcos*. *Apologiae pro Christianis*, Prima scilicet & Secunda. *Liber de Monarchia Dei*, forsitan in fine mutilus. *Dialogus cum Tryphone Judæo*. *Epistola ad Diognetum*. Opera, quæ non extant: *Liber de Anima*. *Liber Psaltes* dictus. *Contra omnes heres*. *Contra Marcionem*. *Commentarius in Hexameron*. *De Resurrectione carnis*, teste Damasceno. Opera dubia: *Aristotelicorum quorumdam Dogmatum Eversio*. *Epistola ad Zenam*, & *Serenum*. Opera supposititia: *Quæstiones*, & *Responsiones ad Græcos*. *Quæstiones Græcanicæ de Incorporeo*, &c. Et ad easdem *Christianæ responsiones*. *Quæstionum 146. Responsio ad Orthodoxos*. *Dubitacionum adversus Religionem summarie solutiones*. *Expositio Fidei de S. Trinitate*.

Justinus Martyr, quia vicinus Apostolorum temporibus fuit, Apostolorum doctrinam bene perspectam habuit. Quare ipsum, ut Apostolicum virum citant Euseb. Basil. Epiphan. & alii PP. & Euseb. quidem ait: *Reliquit nobis Justinus plurima eruditæ animi monumenta, ac omnis generis utilitatis plena.* Photius in Biblioth. *Est vir ille ad Philosophiæ tum nostræ, tum potissimum profanæ summum elevatus fastigium, multiplicisque eruditionis, & historiarum copia circumfluens*, &c. Et Erasm. in Epist. *Libros eruditissimos Justinus scripsit adversus Valentianos, & Marcionem*. *Præterea de Hæretibus, & Hæretorum præscriptis, quos si quis legere non gravabitur, rectius intelliget Irenei libros*. Scaligerana posterior. *Justinus Martyr simplex est: juvat tamen quid dicat*

dicat inspicere. Anastasius Biblioth. in Hist. Eccles. ipsum vocat *Philosophum Divinum. Gravis*, & *Pius* scriptor ab aliis, & *Vir maxima dignus admiratione* &c. dicitur. Dallæus de Usu Patrum pag. 255. ipsum prius laudat, dicens: *Omnium Patrum antiquissimus est Justinus*, magni apud veterum historias nominis, non solùm propter insignem rerum divinarum, & Philosophic cognitionem, sed etiam propter zelum illum, quem luculentissime, & magna cum laude exercuit, cum mortem pro Christo fortiter oppetiit. Verum postea in multis reprehendit, afferens, ipsum cum Chiliasm sentire, quod scilicet Fideles Hierosolymis mille annos regnaturi sint, antequam Resurrectio penitus perficiatur. Quod Dei essentiam quodammodo finitam putet. Quod de Angelis absurdia locutus sit &c. Sed quanta Dallæi verbis fides adhibenda sit, judicent alii. Casaubonus Exercit. 1. ad Apparat. Annal. Baron. num. 69. affirmit, eum Prochronismo, & Metachronismo in Historia peccare. Dionysius Petavius Justinum refert inter eos, qui idem, quod Arius, ante tradiderunt, ideoque rejicit Expositionem Fidei, quæ sub nomine Justini circumfertur. Sed supra notavimus, hoc opus ex Supposititiis esse. Du Pin in Nov. Biblioth. Aut. Eccles. tom. 1. pag. 160. & 161. ejus veluti Apologiam texuit, afferens, eum à nobis circa Trinitatem dissentire videri, quod Platonicorum principiis infusat; verum non re, sed suos sensus enunciandi modo dissentire: cæterum ipsum laudat. Vide etiam Gul. Cave in Hist. Literat. ubi eum excusat, quod Hebraicarum literarum rudis fuerit, Græcis disciplinis totus addictus, Græcisque parentibus ortus. Extant ejus Opera Gr. Lat. cum notis Sylburgii, Perrionii, Billii, & Petri Lausselii. Fol. Parisiis 1636. Fuit & alter Justinus Historicus, Martyris coævus.

T A T I A N U S

Justini discipulus fuit, genere Syrus, secta & ipse Platonicus, qui Romæ docens innumera ferme volumina conscripsit, inter quæ maxime elucet *Liber contra Gentes*, qui in Biblioth. SS. PP. tom. 3. extat; & quem ipse in Catholicæ Fidei defensionem fecerat. Sed Româ digressus in Orientem rediens, & in superbiam elatus, à Fide Orthodoxa defecit, in varios incidentes Valentini, Marcionis, & Saturnini errores. *Diateffaron*, sive *Concordiam Evangelistarum* composuit; ab Evangeliis tamen, quæ suis erroribus contraria erant, prius abstulit. Contra hunc scripsit Musanus, Apollinaris Hieropolitanus, Clemens Alexandr. &c.

P H I L O.

Quamvis hic de gente Judæo-Alexandrina fuerit, & eorum unus, qui *Ελληνιστæ* Hellenistæ, hoc est, Judæi Græcissantes vocabantur, & Alexandriae fere semper vixerit, quia tamen an. Chr. 40. Princeps Judaicæ legationis Romam ad Caligulam missus primo fuit, inde iterum ad Claudium venit, quo tempore cum Apostolorum Principe & sermonem habuit, & amicitiam coluit, teste tum Hieronymo, tum Photio; merito Romanorum Philosophis adscribendus. Addit Photius (qua tamen autoritate ductus non liquet) Philonem Christianorum etiam sacris initiatum, ab iis tandem deservisse. Atqui à Divo Hieronymo, teste Bellarm. de Script. Eccles. inter Ecclesiasticos Scriptores numeratur, tum quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub S. Marco Evangelista in Ægypto religiosissime vivebant; tum etiam quia divinas Veteris Testamenti Scripturas primus exposuit. Quod tamen sub

sub nomine Philonis circumfertur *Breviarium Temporum*, ab omnibus reji-
citur; sicut & alii Historici, qui cum hoc Breviario simul editi sunt. Scripsit
etiam librum, cui titulus *Cajus reprobens*, & alterum, qui *Flaccus reprobens* dicitur. His libris Philo Caligulam, & Claudium fictis nominibus in-
crepat; nam male nimis ab ipsis acceptus est. *Quibus in libris magis*, quam
in aliis dicendi vis ejus, ac *venustas* appareat. Peccat tamen non raro ideis
transmutandis, ceterisque à Judaica secta alienis describendis. Phot. Biblioth.
cod. 105. Ejus opera cum versione Sigismundi Gelenii, aliorumque Parisis
edita anno 1640. in tres partes distincta sunt; quarum prima continet *Cosmo-
poëtica*: secunda vero *Historica*: tertia denique *Juridica*, seu *Legalia*. Hæc
autem de Philone autorum testimonia sunt.

Euseb. Hist. Eccles. II. c. 17. *Philo verbis copiosus, sententiis locuples*, &
in divinis Scripturis explicandis altus, inque sublime se tollens. Vide etiam
eundem I.2. c. 4. ubi plura laudabiliter in eum congesit. Keckermann. in Au-
stuar. ad Comm. de nat. & propriet. Hist. c. 3. *Scripsit de Vita Mosis*, vir secre-
tioris Philosophiae peritissimus, ex genere Sacerdotum Judæorum, & Ale-
xandri Alabarchæ frater, inter primores Alexandrinos merito numerandus:
plurimum curæ, & laboris posuit in divinis, & patriis institutis percipiendis,
itemque in Philosophicis, & externe literaturæ disciplinis, secutus do-
ctrinam præcipue Pythagoræ, & Platonis, ita ut inter cunctos suæ ætatis vi-
ros doctos præemineret. Divus Hieron. Epist. 84. *Quid loquar de Philone*,
quem vel alterum, vel secundum Platonem Critici pronunciant? Et de Script.
Eccles. Philo disertissimus Judæorum. De hoc vulgo apud Græcos dicitur: Aut
Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo: tanta est similitudo sensuum,
& eloquii. Sixt. Senens. I.4. Biblioth. Hic sane vir fuit Pythagoricæ, Platonici-
æ, & Aristotelicæ Philosophiae peritia omnibus suæ memorie hominibus lon-
ge superior, sed & Græcae facundie inter omnes tam Christianos, quam Ju-
dæos, & Ethnicos ætatis suæ facile principem locum obtinuit. Non defue-
re tamen, qui ei propriæ, hoc est Hebraicæ linguae imperitiam adscripserint.
Hujus Opera in tantum admirati sunt Romani, ut digna existimarent, quæ in
ipsorum publica Bibliotheca, tanquam monumenta quedam, reponerentur.
Fuit præterea, ultra quam dici queat, admirabilis in divinis scripturis ex-
ponendis. A Baron. vol. I. appellatur. *Vir disertissimus, qui res Judaicas præ-
ceteris colluit*. Scaliger Elench. Trihaeres. Scripta ejus pigmentis Platonici-
c condita, & multis luminibus Hellenismi lita esse, ait; ipsumque vocat
ibi hominem Græce tantum loquentem, Hellenismi vero adeo imperitum, ut
dubitetur, an etiam legere sciret Hebraice: cuius rei caussam addit Epist. 13.
Verum in Conjectan. ad Verr. p. 72. ipsum Platonis æmulum ac magnum im-
primis virum appellat: Vide etiam Clem. Alex. Epiph. August. Theodoret.
Suid. Nicephor. Trithem. Possevin. &c.

Quæstio inter autores est, an Liber Sapientiæ, qui in Sacris Bibliis Salo-
moni inscribitur, Philonis sit, adscribi autem Salomoni, ut libro conciliaretur
autoritas. De quo ita sentit Voss. I. 1. Idololatr. c. 11. ubi de veneratione anima-
rum loquitur: *Qui cultus unde originem traxerit, ostendit liber Sapientiæ*,
Salomoni à multis etiam veterum attributus, quum sine dubio alterius sit, &
ut credibile, Philonis, non illius, qui Claudi vixit ætate, & Moses Atticissans
dictus fuit, sed longe vetustioris, qui sub Onia Sacerdote, annis ante Christum
160. tot pulcas sententias vel scripserit, vel congeßerit.

C Y N I C I .

D E M E T R I U S

SEcta Cynicus sub Caligula vixit sec. 1. Hunc à natura productum, ait Seneca, ad ostendendum, posse quempiam in media hominum perversa multitudine probum, & justum conservari. Cum eximiam omnium existimationem in sua Philosophicæ libertatis professione indeptus esset; Caligula ut eum sibi familiarem adjungeret, dono id consequi posse putavit. Hoc autem Demetrius despectui habens, ait: *Toto eram illi experiendus Imperio.* Vespasiani iussu Româ exulavit; ac Corinthi tunc diu tempus degit. Romani enim sicuti Pythagoricos ob Magiam, quam colebant, Urbe eliminabant; ita & Cynicos propter superbiam, qua cunctos despectui habebant, & nimiam linguae procacitatem, qua omnes feriebant, non sustinebant. Et quidem Demetrius obviam in itinere Vespasiano factus, neque assurgere, neque illum salutare dignatus est; sed oblatravit nescio quid; Imperator autem tunc satis habuit canem eum appellare: Diogenem vero juniores ob linguæ procacitatem virgis cædi jussit. Isidorus etiam Cynicus Neronem in publico transeuntem clara, & alta voce corrigerere non est veritus, quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret. Vide Cozzandum de Magisterio Antiquorum Philosophorum l. 3. c. 2. Phavorinus in Orat. de Demetrio loquitur, & Philostratus de Vita Apollonii Tyan. l. 4. c. 8. cuius etiam Apoll. discipulum fuisse refert. Tacit. in fine Annal. de Pæto Thrasea, morti à Nerone damnato, loquens ait: *Maxime intensus Demetrio, Cynicæ institutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat intentione vultus, & auditu, si qua clarius proloquebantur de natura animæ, & dissociatione spiritus, corporisque inquirebat.* Vide etiam Senecam de Benef. l. 6. c. 8.

S T O I C I .

A T H E N O D O R U S T A R S E N S I S

SIc dictus, quod Tarsi civis ab omnibus fere habetur, et si Cedrenus, atque alii, sed minus recte, Alexandriæ ortum scribunt. Tarsensis autem vel ex eo fuisse videtur, quod ab Augusto, cui familiaris, & magister, teste Luciano, fuit, obtinuit, ut Tarsus vesticalia nulla solveret. Dictus etiam est Bonavita, sive ut alii malunt, Cananita, à Tarsi vico quodam ad differentiam alterius Athenodori Tarsensis, & Stoici, qui Cordilion dicebatur, de quo infra. De primo sic Strabo libro 14. *Athenodorus Sandonis, quem & Cananitam à pago quodam vocant, Cæsar præceptor fuit, magnosque est honores consecutus.* Dictus autem Sandonis, quia Sandonis filius erat. Athenodorus, de quo nunc, cum Augustum ad iram procliviorum videret, hoc ei præcepit, referente Suida: *Cùm ira, Cæsar, te ceperit, nihil prius neque dixeris, neque feceris, quam ipsa 24. Elementa literarum Græcarum tecum ipse percurreris, ut ita concitatio illa, quæ momentosa est, parvi temporis interiectu languescat.* Secta Stoicus fuit, eumque Augustus Tiberii magistrum designavit. Opus quoddam Octavio inscripsit. Scripsit & seria quædam, alia jocosa, atque opus de dissertationibus; atque alia. Strabo lib. 14. Eusebius in Chron. ad an. Chr. 10. Vignierus, Vossius, atque alii.

Fuit & alter Athenodorus Tarsensis, & Stoicus, cognomine *Cordilion* appellatus ut modo dictum, qui Catoni Minoris familiaris fuit, & apud quem obiisse

obiisse dicitur. De hoc ita Plut. in Cat. Athenodorum autem cum intellexisset, Cordilionem cognomine, in Stoica disciplina excellentem apud Pergamum agere ætate jam provectum, qui, pertinacissime omnium, Imperatorum, Regumque usum, & amicitiam repulerat: nihil arbitrabatur se nunciis, & literis apud eum effecturum: verum quod in duos menses haberet jus liberae legationis, in Asiam est ad eum profectus, confidens virtutibus suis non frustratum iri se preda. Collocutus cum eo &c.

Athenodorum Atheniensem, secta etiam Stoicum, Dionysii Areopagitæ discipulum, missum facio; nec enim hujus est loci.

C A T O M I N O R,

SIVE PRÆTOR, ET UTICENSIS

A Marco Porcio Catone (quem ab ætate Majorem, ab officio Censorem appellant) proavo suo Stoico, ob virtutem Romæ tunc clarissimo, & potentissimo, claram duxit originem. Ex Prætura, quam summa laude obivit, PRÆTOR dicitur: UTICENSIS autem, quia Uticæ mortuus est, ut infra notabitur. Cum Fratre Cæpione, & Porcia sorore adhuc adolescens parentibus orbatus, à Livio Druso avunculo, & principe tunc Civitatis educatus est. Serviliam etiam sororem habuit uterinam Lucullo nuptam, sed propter impudicitiam inde repudiatam; ut supra in Lucullo. A prima ætate sapientiae, probitatis, ac prudentiae, vultu, verbis, & actione signa dedit. A risu alienus, raro vel ad levem risum ora deflexit. Ad iram tardus; sed ubi exarserit, placatu difficilis. Literis addiscendis addictus piger, & fere stupidus ad percipiendum fuit; sed quæ labore memoriæ mandaverat, nunquam oblitus est. Primus ei præceptor Sarpedo. Major inde redditus, & Sacerdos Apollinis factus, accepta sua hæreditatis portione centum viginti talentorum, atque Antipatro Tyrio, Stoicæ Sectæ Philosopho, domum accersito, Ethicæ, & Politicæ studiis potissimum se dedidit; unde & justitiam, ad benignitatem, vel gratiam semper inflexam, amplexatus est. Cum etiam dicendi facultati vacaret, & nemo unquam declamantem ipsum audiret, dicenti amico: *Homines silentium tuum, Cato, reprobendunt; respondit: Modò ne vitam. Tunc ad dicendum accingar, cum non dicturus sim silentio digna.* Athenodorum etiam Stoicum, Cordilionem dictum, in Asiam pergens domesticum semper habuit præceptorem. Quantus Syllæ imperii majestate terribilis, & tyrannidem Romæ exercentis, in Catonem puerum amor erat; tantus & Catonis in Tyrannum ardor erat odii. Nam cum sæpe Sarpedo ipsum ad Syllam obsequium præstandi caussa adduceret: videns Cato multos civium in palatio, tanquam in carnificina, torqueri, illustriumque virorum capita efferti; magistrum interrogavit: *Cur eum hominum nemo interficeret?* Cui Sarpedo: *Quia eum timent.* Tum Cato annum agens 14. ei ira percitus subdit: *Cur mibi gladium non dedisti, ut, eo interemto, affervarim e servitute Patriam?* Hanc autem animi magnitudinem, incorruptam justitiam, & amorem in patriam è Philosophiæ Stoicæ præceptis hauserat vel à puerō: cuius etiam sæpe in vita specimen exhibuit. Attiliam, Sorani filiam, duxit; quam ob impudicitiam, post duos ex ea acceptos filios, repudiavit, & Martiam duxit, Philippi filiam, probam, & magni nominis mulierem. Q. Hortensius, Catonis familiaris, vir magna autoritate, & probatis moribus, ipsam in uxorem à Catone petiit, quod ei necessaria non esset amplius; suscepserat enim ex ipsa prolem satis magnam. Cui Cato respondit, nolle se huic Hortensi desiderio adversari; sed oportere, ut Philippus, Matræ

tiæ parens, in id etiam consentiret. Quare Philippo præsente, & sponsalia comprobante, eam Hortensio cessit: quo mortuo, in suam iterum assumit; ut resert Thraseas ex Munatio, Catonis contubernali. Quod occasionem dedit Cæsari hoc in Catonem convicium dicendi, quod uxorem pauperem dederit, ut locupletiorem reciperet: sive, ut Plutarchi verbis utar, juvenem commodavit, ut reciperet divitem: quare ipsum *Mercenarium Maritum* appellavit; Hortensius enim dives nimis ipsam hæredem fecerat.

Cato Cæpionis fratris sui caussa, quem peramabat, & qui militum Tribunus erat, voluntaria stipendia in bello fecit servili; quod scilicet servi conjurati sub Duce Spartacio excitaverant; unde & Spartacium bellum vocatum est. In hoc bello inde Tribunus militum factus in Macedoniam missus est ad Rubrium Prætorem an. ab U. C. 681. Mirum quam similes sibi verbis, & exemplo milites reddiderit, bellicosos scilicet, alacres, & fortes. Interea Cæpion Asiam petens ex morbo obiit Æni in Tracia. Cato, accepto per literas mortis nuncio, ed perrexit; quem ubi jam mortuum invenit, plusquam Philosophum decebat, ploravit inconsolabili luctu; atque in monumento ex Thasio marmore confecto, quod octo talentis emit, honorifice sepelivit. Hac prima militia defunctus Cato, cum in animo haberet, priusquam ad Remp. accederet, visere Asiam, ac mores, & instituta populorum investigare; militibus suis valere dixit: qui non votis solum, & præconiis, sed lacrymis, & amplexibus ipsum sunt prosecuti, vestes in via, qua pergebat, sternentes, manusque ejus deosculantes: quæ vix paucis Imperatoribus præstabant illius temporis Romani milites. Cum ad Pompejum salutandum, exercitu, & dignitate præpotentem, divertisset; hic tanquam uni ex primoribus e sede exurgens processit obviam, summoque honore, & amplexibus exceptit; ipsum licet magis suspiceret, quam amat. Similiter & omnes civitates, quas peragrabat, ipsum cœna, & hospitio honorifice excipiebant. A Dejotaro Rege Galatiae, populi Romani amicissimo, & Pompeij partes in Pharsalico bello secuto, invitatus, & rogatus, ut oblata sibi dona acciperet, Philosophorum more recusavit; imo & postridie ab ipso discessit. Facto autem unius diei itinere, plura prioribus dona Pessinunte oblata ei sunt cum Regiis literis, quibus Rex ipsum obtestabatur, ut ea sibi, vel sociis acciperet: Sed hæc iterum omnino repudiavit, Dejotaroque remisit.

Post Asiac peregrinationem Romam una cum Cæpionis reliquiis reversus, Quæsturam obtinuit; ad quam tamen non accessit, quin prius Quæstorias leges perlegisset, ac Quæsturæ scientiam ex peritis adeptus esset. Unde simul factus Quæstor fuit, multa in ministris Ærarii, ac Scribis novavit, eorum muneric inscitiam coarguit, scelesti agentes multavit; adeo strenue negocium hoc capessens, ut non satis habuerit nomen, & honorem dignitatis habere, sed creditam sibi Quæsturam rigide administrando, & à Justitiæ proposito nec hominum dignitate, nec precibus, nec minis dimoveri unquam potuit; & Curiae Ærarium brevi tempore reddidit augustus. Unde id omnes ferebant, Consularem amplitudinem à Catone quæsturæ adjunctam fuisse. Reverebatur eum populus, & ut Quæstorem integerrimum habebat: nam & ab Ærarii debitoribus rigide exigebat, & ejusdem creditoribus cito, & promte solvebat; sicque effecit simul, ut Resp. nec quempiam fraudaret, nec à quopiam fraudaretur. Ab iis, quibus Sylla Dictator duodecies milenos denarios in capita largitus erat, atque ab omnibus, qui pecuniam publicam injuste tenebant, rigide ipsam exegit; Ærarium ad summum auxit: sicque docuit, posse Remp. citra ullius injuriam esse locupletem. Ejus igitur Quæstura ad novissimum usque diem celebris, singularis, & admiranda fuit. Hanc in rem notanda hic,

hic, quæ habet Plut in vita. Cum Cato Clodium Urbe cedere coegerisset, ne quis sumum, sed potentem nimis hominem; Cicero gratias ei egit; cui Cato: *Reip. potius agendæ, cujus caussa omnia facio.* Ejus in Rep. fides, & autoritas tanta fuit, ut cum unum testimonium in judicio proferretur, orator ad Judices dixerit: *Uni testi, ne Catoni quidem standum est.* Vulgus etiam de rebus absconis, & incredibilibus proverbio dicebat: *Ne si Cato quidem autor sit, esse credendum.* Cum publicorum negotiorum vacatio erat, liberos, & Philosophos ad prædia sua in Lucaniam deportabat. Detecta à Cicerone Catilinæ conjuratione, Cato in dicenda in reos capitis sententia Ciceroni se adjunxit, ac Cæsari, pœnam minuenti, restitit; ut supra in Cicerone dictum. Et tunc quidem Tribunus Plebis erat Cato: quo munere, ut & aliis, integerrima justitia funetus est. Illud autem dignum, quod notetur, Tribunus Plebis existens fecit; ne Comitia scilicet Consularia venalia amplius essent. Quare juravit, se cujuscumque nomen delaturum, qui nummos ad id dedisset.

Quæsturæ suæ tempore Cato à Reip. ministris, Calpurnio Pisone, Cæsar's amico, & Aulo Gabinio, Pompeji cliente, Consulibus, & P. Clodio Tribuno Plebis, qui ei insensi erant, in Cyprus missus est, ut hoc Regno, quod Romani injuste, ac nulla ratione fibi publicaverant, potiretur, ac Byzantino rum exules reduceret. Quam decoram quidem, sed difficilem, & periculi plenam legationem videns Cato, ipsam recusans Clodio offerenti dixit, non hoc beneficium esse, sed insidias, & quæsitam suæ famæ sugillationem. Hinc Clodius, cui mens sollicita erat Catonem eliminandi, ut in suo Tribunatu quam diutissime abesseret, quia eum timebat verbis, & opere potentem; atque facilius Ciceronem, quem summe oderat, Catone absente, perdendi; legem pertulit de Catonis legatione; eique recusanti subdit: Si gratum non est, ingratisti. Ipsum igitur dimiserunt sine navi, sine milite, & sine ministris, præter duos scribas, quorum alter fur, & improbissimus, alter Clodii cliens erat. Ptolemaeus, Ægypti Rex, qui ex dissensione cum suis, relicta Alexandria, Romanam navigabat, ut à Cæsare, & Pompejo cum exercitu reduceretur; ad Catonem venit, ut suum in hac re consilium experiretur. Cato ipsum monuit, ne suppetias ab illis peteret, sed ad suos libenter rediret. Quod consilium sprevisse eum postea pœnituit; ac se veneno necavit. Cato autem sic optime supra omnem expectationem in hac legatione se gessit, ut omnibus esset admirationi. Byzantio enim concordia composito, navigavit in Cyprus, quod Brutum, fororis filium, præmisserat. Inventum ibi regium thesaurum, quem ad septem millia argenti talentorum coegerit, totum Reip. Romanæ Ærario summa fide, & integritate asservavit, ac Romanam in navibus portavit; nec amicos querentes curavit, qui ægre tulerunt, ipsum nullam thesauri partem ipfis diripiendam permisisse: unde & ipsum ut inimicum habuerunt. Catoni cum thesauro Romam venienti Senatus, Magistratus omnes, & Sacerdotes, & populi multitudo triumphi instar obviam processerunt: cuius thesauri magnitudo per forum translata cunctis admirationem peperit nimiam. Publicis inde laudibus eum Senatus extulit; eique prætoram extra ordinem, & jus spectandi iudos in prætexta decrevit. Hos tamen honores Philosophus noster recusavit.

Pompejo, & Crasso secundum consulatum potentibus, & eorum pactæ cum Cæsare conditioni prorogandi ei provinciam ad quinquennium, fortis animo obstatit. Sed ex positis à Pompejo in foro insidiis Domitius, & Cato vulnerati sunt. Iisdem Pompejo, & Crasso consulibus creatis salus Cato decretas provincias contradicere ausus est; ac Pompejo, quæ ei à Cæsare eventura erant, prædixit. In proximum annum Cato Praetor factus est: cui magistra-

strati legum sanctione, & recta administratione majestatem adjecit. Bibuli sententiam de solo Pompejo Consule creando Cato præter omnium expectationem probavit, & propugnavit: quare Pompejus per Catonis sententiam consul solus creatus, cum ipso amicitiae fœdus iniit; rogavitque, ut in suo consulatu consilio sibi adesse vellet, & præesse.

Contra vero Cæsari infensus semper fuit. Ipsi enim consulatum petenti obstat in Senatu: & ut successor ei mitteretur, autor extitit. Ejus etiam tyrannidem prædixit, atque jugiter adversatus est. Cato consulatum petens repulsam tulit; ac Pompejo, Urbem deserenti, se adjunxit. Inde Siciliam fortitus, Syracusas venit. Sed Asinio Pollione cum exercitu eò ab hostibus misso, Siciliam statim relinquere coactus est; & ad Pompejum venit, quem Reip. defensorem contra Cæsar's tyrannidem existimabat.

Pompeio tandem in Thessalico bello à Cæsare superato, & in Pelusio litora à Septimio desertore suo trucidato, ac sub oculis uxoris suæ, liberorumque mortuo; Cato copiis à militibus præficitur; quibus suas Scipio, Cnæi Pompeij socer, & Juba Mauritaniæ Rex, adjungerunt: unde acrius, atque vehementius Thessalici belli cineres recalueret; sed ut latius Cæsar vinceret. Cæsar's enim milites indignantes, bellum post Pompeij mortem crevisse, acriori impetu in hostes irruerunt; ac Juba, Scipioneque in fugam versis, quorum primus in Regiam se se recipiens, Petrejo, Pompejano Duci, ac suæ fugæ comiti, se interficiendum præbuit; alterum navi fugientem, hostes assediti occiderunt; bello finem dedere.

Cato pugnæ non interfuit, sed Uticæ, quam muris, armis, militibus, munerat, præerat. Tum audito per nuncium suorum exitio, cives omnes, & Senatores solatus, & cohortans, ut fidem in Remp. servarent, & fuga suæ vitæ consulerent, vel Uticæ, quam inexpugnabilem, & frumenti, aliorumque copia refertam reddiderat, se continerent; filio suasit, ut sibi superstes Victoris clementiam experiretur: tum lecto decumbens, Platonis librum de Immortalitate Animæ ad se deportari jussit: quo semel atque iterum lecto, omnibusque e cubili dimissis, districtum ensem sub pectore impressit. Cubili decidens fragorem edidit: unde filius cum Medico, & ministris, qui foris stabant, accurrit: Medicus effusa intestina reponere, & vulnus consuere curavit; sed ipse ut ad se rediit, Medicum repulit, viscera dilaceravit, & divulso vulnera exspiravit, an. ætatis 48. Romæ 708. Olymp. 183. an. 3. & ante Chr. Nat. circiter 45. Uticensis populus accurrens luctu, & lachrymis ipsum servatorem, liberatorem suum, virumque invictum appellans, corpus magnifice, & splendidis elatum exequiis funera verunt juxta mare; ubi nunc etiam ejus statua, districtum ensem tenens posita est. Mox Cæsar Uticam appulit; utque Catonis fatum audivit, dixisse fertur: *Invidet tibi, Cato, mortem, quando salutem mibi tuam invidisti.*

Amplissima de Catone testimonia vide apud Senec. de Tranquill. Vitæ, Lucan. I. 9. Bell. Civ. Cic. Sallust. & alios. Vellejus Paterculus Catonem ad Vinicum sic describit: *Hic genitus proavo M. Catone, principe illo familie Porciæ, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Diis, quam hominibus propior: qui nunquam recte fecit, ut facere videatur, sed quia aliter facere non poterat: cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam: omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit.* Juvenalis è Cœlo lapsum, hoc est divinum eum appellat, dum Sat. 2. ait: *Tertius è Cœlo cecidit Cato.* Lactant. tamen Div. Inst. I. 3. c 18. hæc habet: *Ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Stoicæ vanitatis imitator.* Et post pauca: *Cato videtur mibi caussam quæsuisse moriendi, non tam ut Cæsarem*

sarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos sedabatur, non menque suum grandi aliquo facinore clarificaret. Vide etiam Divum Aug. de Civ. Dei pluribus in locis. Munatius Catonis familiaris librum de rebus à Catone gestis scripsit. Notandum denique, tantum Græcos Catonem hunc dilexisse, quantum Censorius Cato suus proavus oderat.

S T R A B O

Geographorum Princeps, & Scriptor apprime serius, ab Isaac. Casaub. appellatus: *Geographus*, *insignis judicii, & prudentiae Vir*, à Lips. atque aliis præclaris nominibus à plerisque insignitus; scriptor cæteroqui peritissimus, genere Cappadox, eruditione Græcus, judicio priscus, incolatu Romanus, terrarum multarum peragrat fuit, ut notat Petr. Bert. Natus Amasæ, civitate Ponti, *Philosophus fuit Stoicus, quanquam & Philosophiam Peripateticam attigit* (in qua Xenarchum habuit præceptorem) *Geographus præstantissimus fuit, cujus 17. Geographiæ libri, quos Tiberio Cæsare rerum pottente conscripsit, etiamnum hodie extant. Scripsit & alios, ac inter eos, Commentarios Historicos utiles, ad Moralem, & Civilem Philosophiam: sed ad nos non pervenerunt. Obiit circa annum 12. Imperii Tiberit Cæsaris, extremæ senectutis.* Ex Hofman. Et quidem maxime senem eum obiisse, vel ex hoc deducitur, quod Cornelius Gallus, Ægypti Gubernator, ipsius familiaris fuerit præcipuus; ut ipse de se testatur. Hæc autem de Strabone potiora Autrum judicia sunt. Voss. de Hist. Græc. l. 111. c. 6. *Strabo vir profecto maximus. Extant ejus 17. Geographiæ libri, quos non una de causa maximi facere oportet. Fuit enim egregius Philosophus. Alterum etiam est, quod labores Strabonis maximopere nobis commendat: siquidem priorum Geographorum nemo plus terrarum lustravit. Geographiam suam scribebat an. U. C. 771. quarto an. Imperii Tiberii Cæsaris. Isaac. Casaub. in Epist. ad Jac. Strabonis Geograph. præfixa. Unus extitit Strabo Philosophus, alio quidem Stoicus, cæterum deus, Deus bone, & laboriosus, prorsusque ad unguem factus homo, qui omni doctrina eruditus, usque omnibus præsidiiis abunde instrudus, quæ ad rem Geographicam desiderari possunt, rem & magno animo suscepit, & tanta felicitate confecit, ut persuasum habeam, si quis ejus scripta diligenter versare voluerit, cum antiquorum Geographorum jacturam patienter ferre: opus namque velictum nobis est à summo Scriptore, quod præter accuratissimam totius orbis, tunc cogniti, descriptionem, tanta doctrina, tamque varia omnium rerum scientia refertum est; ea denique arte contextum, ut si unius, aut alterius è Veteribus scripta excipiias, nihil plane in tota vetustate reperiā cum hoc operi comparandum. Rhodig. l. 21. lect. Antiqu. c. 25. Strabo non Historicus modo insignis, sed Philosophus quoque, & Mathematicus, adeo celebris, & per vulgari nominis, ut eum Thessalonicensis Eustathius per quandam exochen Geographi nomine persæpe significet. Et Coler. Epist. de studio Politic. p. 212. addit: *Cura ei non tantum τῶν τόπων, sed etiam τῶν τριπτῶν.* Vos. de Philolog. p. 56. *Satis prædicari nequit doctrina, & industria Strabonis Amaseni, scriptoris gravissimi, quem Stratonom vocari debere, perperam in Peripateticis suis Discussionibus contendit Franciscus Patricius. Card. Joh. Bona. Strabo Amasenus, Princeps Geographorum, quem frustra conatur de sui operis possessione decidere Franciscus Patricius in Peripat. Discuss. ut Stratoni cuidam tribuat. Cavigandus autem videtur Strabo, quod Historias, & Philosophicas Disputationes Geographiæ miscuerit. Notandum denique, Isaaci Casaub. Commentarios in Strabonem permitti cum expurgationibus. Vide Ind. Madrit. edit. an. 1667.**

HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ
PÆTUS THRASEA, ET HELVIDIVS PRISCUS.

PÆtus Patria Patavinus, dignitate Senator, Secta Stoicus fuit; vixitque sub Nerone, a quo ad sanguinis totius è venis effusionem, non secus, ac Seneca, damnatus est. Ejus scientiam, & probitatem omnes veteres Autores extollunt; potissimum vero Tacit. l. 16. Annal. sic optime ejus laudes paucis expressit. *Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea Pæto &c.* Cum Consul Marcellus, Neronis iussu, Prætoris, læsæ Majestatis accusati, mortem peteret; Pætus animi constantia, & fortitudine vere philosophica Consuli se opposuit: unde & alii, qui ob Neronis metum Marcello contradicere non audebant, conspecta Thraseæ animi firmitate, in ipsum consentientes, Prætorem è morte liberarunt. Verba Tacit. l. 14. Annal. sunt. *Libertas Thraseæ servitium aliorum rupit, & postquam discessiōnem Consul permiserat, pedibus in sententiam ejus iure &c.* Ex animi magnitudine magnum vocat ipsum Martial. l. 1. Epigr. ubi ait:

*Quod magni Thraseæ, consummatique Catonis
Dogmata sic sequeris, salvis ut esse velis.*

Eiusdem Thraseæ mortem sic descripsit Tacit. in fine Annal. *Tum ad Thraseam in hortis agentem Quæstor Consulis missus, vesperascente jam die. Illustrum virorum, feminarumque cætus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio, Cynicæ institutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat intentione vultus, & auditu, si qua clarius proloquebantur, de natura animæ, & dissociatione spiritus, corporisque inquirebat.* Donec advenit Domitius Cæcilianus ex intimis amicis, & ei, quid Senatus censuisset, exposuit. Igitur flentes, quietantesque, qui aderant, facesse propere Thrasea, neu pericula sua miscere cum sorte damnati, hortatur. Arriamque tentantem Mariti suprema, & Arria Matris exemplum sequi, monet retinere vitam, filiæque communi subsidium unicum non adimere. *Tum progressus in porticum, illuc à Quæstore reperitur, lætitiae propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum avceri cognoverat.* Accepito debinc Senatus consulo, Helvidium, & Demetrium in cubiculum inducit: porrectisque utriusque brachii venis, postquam cruentum effudit, humum super spargens, proprius vocato Quæstore, Libemus, inquit, Jovi Liberatori &c. Arriam cum viro suo Thralea mori cupientem hoc epigrammate celebravit Martial. l. 1. Epigr. 14.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,

Quem de visceribus traxerat ipsa suis:

Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit:

Sed quod tu facies, hoc mibi, Pæte, dolet.

Thraseæ virtutes, & illustria facta vide apud Tacit. in Annal.

Notandum hic, hunc *Helvidium Priscum*, Pæti generum, Quæstorem, atque insignem Stoicum fuisse; de quo Tacitus laudabiliter saepè loquitur, potissimum vero Hist. l. 4. ubi his verbis ejus laudes contexit: *Res poscere videtur, quia iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam, studiaque ejus, & qualis fortuna sit usus, paucis repetam.* *Helvidius Priscus Regione Italæ, Terracinae municipio, Cluvio patre, qui ordinem Primipili duxisset, ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit: non ut plerique, ut nomine magnifico segne ocium velaret, sed quo firmior adversus fortuita, Remp. capesseret, doctores sapientiae secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantum quæ turpia: potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum, neque bonis, neque malis adnumerant.* *Quæstorius ad-*

buc

huc à Pæto Tbrasea gener delectus, è moribus socii nihil aequum, ac libertatem baust; civis, senator, maritus, gener, amicus, cunctis vitæ officiis aequalis, opum contemtor, recti pericax, constans adversus metus. Erant quibus appetentior famæ videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur. Ruina Socii in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium, delatorem Tbraseæ accusare aggreditur &c. Hinc inter Helvidium, & Eprium acre jurgium &c.

LUCIUS ANNÆUS SENECA

E Gente Annæa, quæ equestris ordinis erat, ut ex ipso Seneca apud Tacitum l. 14. paullo ante Augusti mortem, natus est Cordubæ, quæ vetus, insignis, ac prima in Hispania Bætica urbs est. Pater ei *Marcus Annæus Seneca*, quem *Declamatoris* agnomine à filio fere distinguunt: in hoc enim dicendi genere valde excelluit. Hæc nominis conformitas in causa fuit, cur quidam Patris *Declamationes*, sive potius aliorum, ut Lipsius affirmit, ab ipso tamen digestas, & Præloquiis, aut Interloquiis distinctas, Filio tribuerint. Senecæ nostri mater Elbia, sive Helvia, nobilis item Hispaniensis, magni animi, atque ingenii femina; ut Filius eam in *Consolatione ad ipsam* satis descriptis. Pater cum uxore, & liberis Romam Augusti temporibus venit: quo tempore noster Seneca puer erat, ut ipse indicat, ubi materteram laudat *Consolat. ad Helviam* c. 17. *Illius manibus in Urbem perlatus sum: illius pio, maternoque nutrictio, per longum tempus æger, convalescit.* Diu Pater ibi in gratia, & fama vixit, & ad ultima Tiberii tempora vitam produxit. Fratres duos habuit, sorores nullas, ut ex ejus verbis ad Matrem: *Carissimum virum, ex quo trium liberorum mater eras, extulisti.* Major natu *M. Annæus Novatus*, ut à Gallione sive necessitudine, sive patria, sive cognatione, Senecæ devincto, adoptatus, mutato nomine *Junius Gallio*, & in Chronico Eusebiano *Junius Annæus Gallio* dictus est. Hunc L. Annæus noster *Novatum* in libris de Ira quos ad ipsum scripsit, & misit (non enim adhuc nomen mutaverat) *Gallionem* vero de vita Beata, & in Epist. nominat. *Gallionis eloquii suavitatem* sic Statius commendat.

*Hoc plus, quam Senecam dedisse terris,
Et dulcem generasse Gallionem.*

Cujus eloquentiam sonantem, & tinnientem memorat autor de *Gaussis corruptæ Eloquentiæ*, dum refert *Tinnitus Gallionis*. Eruditione, & Senatoria dignitate recte administrata, hic clarus fuit. Sed natu minimus *Annæus Melia* dictus, patris sorte contentus, Eques Romanus fuit, ac Lucanum poëtam genuit, *Grande adjumentum claritudinis*, ut Tacitus ait. Atque his tribus Senecæ Declamatoris filiis allusisse videtur *Martialis*, dum ait:

Et docti Senecæ ter numeranda domus.

Ubi doctum vocat Senecam Declamatorem, ac tres filiorum familias refert.

In Eloquentia, præter ipsum Patrem, præceptores habuit *Hyginum, Cestium, & Asinum Gallum*: quam dicendi artem patris jussu vel invitus, Caji etiam temporibus, magna eloquii gratia, & fama exercuit; neque enim ante id temporis Senecæ scripta ulla Philosophica existant. Hac tamen dicendi arte ultro se abdicavit, ne Cajo Caligulæ, qui solus hominum & videri, & haberi eloquens volebat, invisiæ esset. Scribit enim Dio: *Cum caussam quandam in Senatu egregie, & feliciter Seneca egisset, livore suffusum illum Principem, qui solus videri eloquens volebat, cogitasset de Seneca tollendo & fecisset, nisi una e concubinis admonuisset, frustra mortem parari jam morituro:*

tabe quippe laborare &c. Infirma igitur valetudo saluti Senecæ fuit: Et forsitan huc adspiciens verum Seneca scripsit: *Multorum mortem distulit morbus, & saluti illis fuit videri perire.* Et quidem corpore fuit à pueritia infirmo, sicco, non formoso, & ab asthmate, distillationibus, febriculis, parvo victu, magis autem à studiis, ad extreum exhausto; ut ipse de se in Epist. & alibi refert. Quare infirmum corpus cultu agri & durioribus exercitiis firmabat: unde *Diligentem vinearum foſſorem in Nat.* Quæſt. se appellat: quod opus *Artificium ſuum* etiam vocat.

Puer adhuc Philosophiæ studiis operam dedit sub Sotione Alexandrino, Stoicæ ſectæ Philosophero (et ſi Pythagoriffare etiam viſus vel ipſi Senecæ, qui epift. 108. ait: *Non pudebit fateri, quem mibi amorem Pythagoræ inſicerit Sotion.* Docebat quare ille animalibus abſtinuifet &c.) quod & ipſe de ſe aſſerit Epift. 49. *Modo apud Sotionem Philofophum puer ſedi.* In Philosophia præceptores item habuit Attalum Stoicum, & Papirium Fabianum, quos, dum nominat, grata memoria laudat. Notandum tamen hic, hunc Sotionem non confundendum cum Sotione, qui Ptolemæi tempore vixit; ac librum de Successionibus ſcripsit, quem ſæpe citat Laërtius; & alia. Demetrium quoque Cynicum, de quo ſupra, & domi, & in Aula, & in via, & in peregrinatione ſemper coluit, ac familiarem habuit. Quantum autem in Stoica Philosophia proſecerit; ejus vita, & doctiſſimi libri, de quibus infra, fatis, ſuperque demonſtrant.

Adoleſcens in Ægypto fuit occaſione, quod Avunculus Præfectus ibi eſſet. Nam de materterā ad matrem ſcribens Consol. ad Helv. c. 21. ait: *Exemplum tibi ſuum, cuius ipſe ſpectator fui, narrabit;* de navigatione ibi loquitur, cum materterā ex Ægypto rediret. Unde factum, ut de Ægypto & Nilo in ſuis libris, ac præcipue in Quæſt. Nat. loqueretur. Ante exſilium uxorem habuit, ut teſtatur Epift. 1. *Harpasten, uxor mea fatuam ſcis bæreditarium onus in familia mea remansiffe.* Loquitur igitur hic de uxore jam defuncta; at Paullina, altera uxor, ipſi ſuperſtes fuit. Sed clarius 3. de Ira: *Cum ſublatum eſt lumen, & uxor moris mei jam conſcia, conticuit.* Sed libri de Ira ſcripti ſunt, ipſo adhuc Juvene, inter primos, Cajo non dum mortuo. Ex hac Marcum filium habuiffe conſtat ex his ejus verſibus:

*Sic dulci Marcus, qui jam ferme fritinnit,
Facundo patruos provocet ore duos.*

Jam ſenex, & in Aula potens, Paullinam duxit, nobilem feminam, quæ vi- rum ad mortem uſque amavit. Sic enim ipſe Epift. 104. *Hoc ego Paullinæ mee dixi, quæ mihi valetudinem meam commendat: venit mihi in mentem, in hoc ſene, & adolescentem eſſe, cui parcitur.* Præter opes, quas magnas pater ei re- liquerat, immensas etiam congeſſit ex Neronis liberalitate intra quadriennium regiæ amicitiæ: quas ad ter millies HSS adſcendiffe refert Suillius; & ſeptua- gies quinquies centena millia Philippicorum atquare aſſerit Lipsius. Villas, prædia, opes nedum Romæ, & in Campania, ſed etiam in Ægypto habuiffe educitur ex ipſius Epiftola 67. Jure igitur Juvenalis memorat.... *Senecæ prædivitis opes.* Teſtatur etiam ipſem et in oratione ad Neronem apud Tacitum Annal. 14. & ipſe Tacitus ibidem.

His autem præclaris opibus uſus eſt, non abuſus: quod vel ejus in mensa frugalitas, & in voluptatibus abſtentia declarant. Audiamus ipſum Epift. 108. *Non tantum ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſupervacuis licebat circumſcribere gulam, & ventrem.... Ex bene cœptis pauca ſervavi.* Inde oſtreis, boletisque in omnem vitam renunciatum eſt: inde in omnem vitam unguento abſtinemus: inde vino caret ſtomachus: inde in omnem vitam balneum fugi- mus.

mus. Etsi in Aula præpotens, animum ab omni proflus adulatione alienum habuit; quod & ipse confessus est 2. de Clem. his ad Neronem verbis: *Diutius morari me hic patere, non ut blandiar auribus tuis: nec enim mibi hic mos est: maluerim veris offendere, quam placere adulando.* Et apud Tacit. 15. Annal. *Non sibi promtum in adulationes ingenium: idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui saepius libertatem Senecæ, quam servitum expertus est.* De singularis in die dictis, factis, & erroribus, rigidum examen, Pythagoreorum more, instituebat, ut castigaret, corrigeret, emendaret. Sic enim ipse 3. de Ira: *Utor hac potestate & quotidie apud me caussam dico. Cum sublatum ē conspectu lumen est, & conticuit uxor moris mei jam conscientia, totum diem mecum scrutor, facta, ac dicta mea remetior. Nihil mibi abscondo, nihil transeor: quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco?* Ejus eximia in Deum pietas, mentis adhæsio, voluntatis submissio, vel perfectioribus christianam vitam profitentibus exemplar esse deberent. Quod clare docuit, præter alia loca, Epist. 96. *Si quid credis mibi, intimos affectus meos tibi cum maxime detego. In omnibus, quæ aspera videntur, & dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assenter: ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil unquam mibi incident, quod tristis excipiam, quod malo vultu. Nullum tributum invitum conseram.* Hinc non immerito Tertullianus, & priisci Patres ipsum Nostrum appellant: & Otho Frisingensis dicere ausus est, *Senecam non tam Philosophum, quam Christianum dicendum.* Ob eminentes has virtutes eximia semper de eo opinio apud omnes fuit: imo vel imperio viventem ipsum destinabant, ut notat Tacit. 15. Annal. *Ut traderetur imperium Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium dilecto.* Nec audiendi ejus famæ detractores, qui ipsum aliud factis, aliud verbis ostendisse, contendunt. De Senecæ virtutibus vide, præter alios, Lipsium in Manuductione, & Physiologia.

Ex Reipublicæ dignitatibus Quæsturam primo gessit, quam materteræ suæ suffragio adeptus est, ut ipse inquit Consolat. ad Helv. cap. 17. *Illa pro Quæstura mea gratiam suam extendit, & quæ ne sermonis quidem, aut claræ salutationis sustinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam.* Primo autem Claudi imperii anno, cum Julia Germanici filia, à Messallina, scorto impudicissimo, accusata adulterii esset, ipsa extorris est acta, & Seneca, quasi adulterii reus, in Corsicam est relegatus. Ejus tamen innocentiam Lipsius in vita ex Taciti verbis Annal. 12. arguit, qui de Senecæ exfilio loquens ait: *Seneca infensus Claudio memoria injuriæ credebatur.* Ubi Lipsius ex illata sibi à Claudio injuria ejus innocentiam deducit. Sed ubi Claudius Imperator post mortem Messallinæ Juliam Agrippinam Germanici fratri sui filiam, Cn. Ænobarbi viduam, & Neronis Domitii matrem, uxorem duxit, & nuptiæ decreto Senatus firmatæ, & legitimæ habitæ; *Agrippina* (verba sunt Taciti 12. Annal.) veniam exsilit pro *Annæo Seneca*, simul *Præturam* impetrat, *lætum in publicum rata ob claritudinem studiorum ejus, utque Domitii pueritia tali Magistro adolesceret, & consiliis ejusdem ad spem dominationis uteretur.* Exsiliī tempus ad annos duos ponitur à Morey in Lex. Hist. sed accuratior Lipsius ipsum ad annos circiter octo in exilio fortiter, & feli-citer vixisse, affirmsat. Quo tempore optimis studiis, meditationibusque philosophicis intentus ad matrem scripsit cap. 4. *Qualem me cogites, accipe: lætum, & alacrem, velut optimis rebus: Sunt autem optimæ, cum animus, omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, & modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam sui, universique naturam, veri avidus insurgit.* Ubi per leviora studia Poëtica censet Lipsius. Sic etiam Senecæ in exili-

exilio animi felicitatem expressit Auctor Octaviæ Tragœdiæ, in qua ipsum, ita loquentem inducit.

*Melius latebam procul ab invidiæ malis
Remotus, inter Corsici rupes maris.
Ubi liber animus, & sui juris, mibi
Semper vacabat, studia recolenti mea.
O quam juvabat (quo nihil majus parens
Natura genuit, operis immensi artifex)
Cœlum intueri, solis & currus Sacros.*

Scripsit in Exilio degens librum de Consolatione ad Matrem Helviam unum ; alterum de Consolatione ad Polybium , præpotentem Claudii libertum. Romam igitur rediens , Prætor factus est a. V. C. 802. Sed an postea Consul? Affirmant libri legum , ad S. C. Trebellianum ; ita enim Ulpianus . Temporibus Neronis , octavo Kal. Septembres , Annæo Seneca , & Trebellio Maximo C55. factum est SC. Idem & in Justiniani 2. Instit. scriptum reperitur. Negant alii , quia Ausonius Gratiarum Actione palam ait : *Dives Seneca , nec tamen Consul.* Sed qui consulem fuisse volunt , afferunt Ausonium de Ordinariis Consulibus locutum , non vero de suffectis , quales Senecam , & Trebellium a. V. C. 815. fuisse , contendunt.

Primus autem , ac præcipuus Senecæ honor fuit , Neronem Imperatorem in Eloquentia , & moribus instituisse . Et sane primis quinque imperii annis , quamdiu scilicet Senecæ monitis , consiliisque usus , nedum optimus Princeps , sed Principum exemplar , quod imitarentur , fuit . Tacit. Annal. 13. duos memorat , quibus utiliter Princeps se permisit . Ibat in cædes , nisi Afranius Burrhus , & Annæus Seneca obviam issent . Hi rectores imperatoriæ juventæ , & pari in societate potentiae concordes , diversa arte ex æquo pollebant : Burrhus militari bus curis , & severitate morum ; Seneca præceptis Eloquentiæ , & comitate honesta : juvantes invicem , quò facilius lubricam Principis ætatem , si virtutem aspernaretur , voluptatibus concessis retinerent . Et ibid. 14. de Burrhi morte ait : *Concessitque vitâ Burrbus , incertum valetudine , an veneno Et Burrbum , intellecto scelere , cum ad visendum eum Princeps venisset , ad spectum ejus aversatum ; sciscitantique haecenus respondisse : Ego me bene habeo . Civitati grande desiderium ejus mansit per memoriam virtutis &c.*

Neronis quoque præceptor fuit , ut ex Suida habemus , Alexander , patria Ægæus , secta Peripateticus , qui Neroni , ut Aristotelis doctrinam acciperet , suadere non potuit : nam Seneca , & Burrhus , ambo Stoici , in Neronis animum , cui dominabantur , Stoicam Philosophiam indiderant .

Verum ubi Nero , repulsa Octavia , Poppææ , impurissimo Scorto nupsit ; ac Sophonii Tigellini fœdissimis , scelestissimisque consiliis à recta rationis norma declinavit ; omni vitiorum generi se dedidit , hominum pestis , immane , horrendum crudelitatis monstrum . Qualis Poppæa Sabina fuerit , vide apud Tacit. in Annal. ex quorum libro 13. paucis ostendam : *Huic mulieri cuncta alia fuere præter honestum animum modestiam præferre , & lascivia uti Famæ nunquam pepercit , maritos , & adulteros non distinguens ; neque affectui suo , aut alieno obnoxia , unde utilitas offendetur , illuc libinem transferebat . Neroni nupta libidini sævitiam copulavit . Mortem autem ejus talem descripsit Annal. 16. Post finem iudicri Poppæa mortem obiit , fortuitâ mariti iracundiâ , à quo gravida ictu calcis afflicta est ; neque enim venenum crediderim ; quamvis quidam scriptores tradant , odio magis , quam ex fide: quippe liberorum cupiens , & amori uxoris obnoxius erat &c. Sophonii Tigellini infamiam en paucis ab eodem accipe Annal. 14. Sophonium Tigellinum ,*

veterem impudicitiam, atque infamiam in eo securus Validior Tigellinus in animo Principis, ex intimis libidinibus assumptus. Et Hist. lib. 1. Sopponius Tigellinus obscuris parentibus, fœda pueritia, impudica senecta, Præfecturam vigilum, & prætoria, & alia præmia virtutum, quia velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam, & virilia scelera exercuit: corrupto ad omne scelus Nerone, quædam ignaro ausus, ac postremo ejusdem desertor, & proditor. Et post pauca Populi Romani ingenti in Tigellinum odio æstuantis persecutionem, & turpissimam ejus mortem talibus ostendit: Eò infensor populus, addita ad vetus Tigellini odium recenti T. Vinii invidia, concurrere è tota Urbe in Palatium, & fora, & ubi plurima vulgi licentia, in circum, & theatra effusi, seditionis vocibus obstrepere: donec Tigellinus, accepto apud Sin vessanas aquas supremæ necessitatis nuncio, inter stupra concubinarum, & oscula, & deformes moras, sectis novacula faucibus, infamem vitam fœdavit, etiam exitu fero, & in honesto.

Sed ut ad Senecam redeam; cum Neroni, Poppææ, & Tigellino invisus esset, eo quod ejus virtutes eorundem vitia reprehenderent, & accusarent; Nero, conjurationis reum ipsum simulans, mortis tandem damnavit, ut boni, rectique doctore sublato, ingratum reverentiæ frænum, quo gravabatur, excuteret: et si juraverat, nunquam ei nocitum, ut ait Suetonius: *Senecam præceptorem ad necem compulit, quamvis sæpe conmeatum petenti, bonisque cedenti, persande jurasset, suspectum se frustra, peritumque potius, quam nocitum ei.* Atqui, ut Tacit. ait loc. cit. *Infensus Senecæ omnes ad eum opprimendum artes conquirebat.* Quare venenum tentaverat, ut ex eodem Tacito ibidem: *Tradidere quidam, venenum Senecæ per libertum ipsius Cleonicum paratum jussu Neronis, vitatumque à Seneca proditione liberti, seu propria formidine, dum simplici viatu, & agrestibus pomis, ac si sitis admoneret; profluente aqua vitam tolerat.* Senecæ mortem fidissimus scriptorum Tacit. sic descripsit Annal. 15. Sequitur cædes Annei Senecæ lætissima Principi, non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat Propinqua vespera Tribunus venit, & villam globus militum sepst: tum ipse cum Pompeja Paullina uxore, & amicis duobus epulanti mandata Imperatoris edidit. Seneca missum ad se Natalem, conquassumque nomine Pisonis, quod visendo eo prohiberetur, se ratione valetudinis, & amore quietis excusasse, respondit Ubi hæc à Tribuno relata sunt, Poppæa, & Tigellino coram, quod erat sœvienti Principi intimum consiliorum, interrogat, an Seneca voluntariam mortem pararet. Tum Tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis ejus, aut vultu deprebensum confirmavit. Ergo regredi, & indicere mortem jubetur Intromisitque ad Senecam unum ex Centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas: ac denegante Centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam tam & pulcherrimum habebat, imaginem vitæ suæ relinquere testatur, cuius si memores essent, bonarum artium famam tam constantis amicitiae laturos. Simul lacrymas eorum modò sermone, modo intensior in modum coercensis, ad firmitudinem revocat, interrogans: *Ubi præcepta sapientie?* Ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? cui enim ignaram fuisse sœvitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem, fratremque imperfectos, quam ut educatoris, præceptorisque necem adjiceret. Ubi hæc, atque talia velut in commune differuit, complectitur uxorem; & paululum adversus præsentem formidinem mollitus, rogat, oratque temperet dolori, ne æternum susciperet; sed in contemplatione vitæ per virtutem actæ, desiderium meriti solatiis honestis sole-

toleraret. Illa contra sibi etiam destinatam mortem adseverat, manumque percuisoris exposcit. Tum Seneca glorie ejus non adversus; simul amore, ne sibi unicè dilectam ad injurias relinqueret: Vitæ, inquit, delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine. Post quæ eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus, & parvo ictu tenuatum, lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque, & poplitum venas abrumpit. Sævisque cruciationibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infingeret, atque ipse visendo ejus tormenta ad impatientiam dilaberetur, suadet, in aliud cubiculum abscederet. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo. At Nero nullo in Paullinam proprio odio, ac ne gliseret invidia crudelitatis, inhiberi mortem imperat. Hortantibus militibus, servi, libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum signare. Nam ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere, qui credent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociæ cum marito mortis petivisse: deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evidam: cui addidit paucos postea annos laudabili in maritum memoria, & ore, ac verbis in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum. Seneca interim durante tractu, & lentitudine mortis, Statum Annæum diu sibi amicitiae fide, & arte Medicinæ probatum, orat provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium supplicio extinguerentur, promoveret: allatumque haust frustra, frigidis jam artubus, & clauso corpore adversum vim veneni. Postremo flagrum calidæ aquæ introit, respurgens proximos servorum, addita voce, Libare se liquorem illum Jovi Liberatori. Exin balneo illatus, & vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris sollenni crematur. Ita codicillis præscripserat, cum etiam tum prædives, & præpotens, supremis suis consuleret. Obiit an. Christi 65. regni Neronis 12. ætatis verò, ut scribit Lipsius 63. vel 64.

En mortem Philosopho, & quidem Stoico, dignam, hilari vultu, forti, constantique animo toleratam. Jure igitur Divus Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis ejus vitam, & mortem, æque miram utramque attendens, ait: *Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Sotionis Stoici discipulus, & patruus Lucani poëtæ, continentissimæ vitæ fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ Epistolæ provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus, cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit, Ejus esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quam Petrus, & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfecitus est. Verum epistolas, quæ nunc horum autorum nomine circumferuntur, utroque autore indignas. Critici fatentur omnes. Et Lipsius addit, eas à semidocto aliquo compositas. Fuisse tamen inter eos amicitiam, & forsan literarum usum, sed aliarum ab iis, quæ nunc habentur, plures cum Hieronymo loco citato, Augustino Epist. 53. ad Maced. & 6. de Civ. Dei 10. & his antiquiore Lino Pontifice de Passione Divi Pauli, contendunt. Unde Job. Sarisberiensis lib. 8. Policrat. cap. 13. ait: Desipere videntur, qui non venerantur cum, quem Apostolicam familiaritatem habuisset constat. Vulgatas tamen has literas, earumque fidem, præter alios, tuerunt Salmeron Comment. in Philip. cap. 4. & Binius tom. 7. Bibl. Patrum. Sed Erasmus scholiis in Hieronym. loc. cit. ait: *Nihil in illis esse neque Paulo dignum, neque Seneca.**

Scripsit plurima magnus hic Philosophus, ingenio excellenti, & amœno,

copia, doctrinaque insigni, admiratione magis, quam laude prosequendus. Eorum, quæ extant, vel cunctis nota, brevem catalogum subtexere sufficiat. Sunt igitur *De Ira libri tres ad Novatum Fratrem*. *De Consolatione ad Helviam Matrem lib. 1.* (in exilio scriptus) *De Consolatione ad Polybium lib. 1.* (etiam in exilio, ut supra dictum) *De Consolatione ad Marciam lib. 1.* *De Providentia lib. 1. ad Lucilium* (in exilio, vel statim à reditu) *De Tranquillitate animi lib. 1. ad Serenum* (post reditum ab exilio) *De Constantia Sapientis, sive quod in sapientem non cadit injuria; ad Serenum*. *De Clementia lib. 2. ad Neronem Cæsarem* (annum 19. ætatis agentem) *De Brevitate Vitæ lib. 1. ad Paullinum* (quem Paullinæ uxoris suæ fratrem arbitratur Lipsius) *De Vita Beata lib. 1. ad Gallionem fratrem* (scripsit jam senex) *De Ocio, aut Successu Sapientis* (libri pars, vel Epistola, atque etiam manca censetur) *De Beneficiis lib. 7. ad Ebucium Liberalem* (sub Nerone post mortem Claudii) *Epistolæ 124. ad Lucilium* (Senex scripsit) *Naturalium Quæstionum lib. 7. ad Lucilium* (scripsit valde senex) *Claudii Cæsaris Απολογίας*: qua Satyra Claudium carpit, quod cum vivens insulsa cucurbita fuerit, post mortem in Deum mutari ambiverit. Quæ vox Απολογίας latine verti posset *Cucurbitæ Transfiguratio*. Verum *de Tragœdiis*, quæ Senecæ adscribuntur, en Vossii censuram in Hist. de Poëtis Latinis: *In Poëtis Senecæ locum dedimus, non quasi omnium eum Tragœdiarum parentem putemus, quas tribuit vulgo videmus: sed quia non dubium, quin in illis quædam sint genuini ejus fructus*. Poëtam ipsum fuisse, ac versus tum in exilio, tum in Aula fecisse, constat ex multis, præcipue ex Tacit. 14. Annal.

Senecæ opera, quæ interciderunt, extantibus licet plura, hæc tamen ab auctoribus relata eruit Lipsius: *Versus, & Poëmata. Orationes. De Terræmotu liber*; quem juvenem se scripsisse testatur 6. Nat. Quæst. c. 4. quem postea in iisdem Quæstionibus retractavit. *De Matrimonio*; quod opus citat Hieronym. lib. 1. adv. Jovinianum. *Historia, sive Compendium*; ex Lactant. 7. cap. 15. *De Superstitione*; laudat, & excerptit quædam Aug. 6. de Civ. Meminit & Tertul. in Apologet. *Moralium libri*: citat Lactant. l. 2. c. 2. atque alibi. & ipse Seneca Ep. 106. & 109. *Exhortationum libri*; atque alia, quorum fragmenta apud autores memorantur.

Tandem laudes in ipsum ab optimis auctoribus affatim congregatas, & de iis, quæ scripsit, judicium, vide apud cit. Lipsium in Vita, in Manuductione, & Physiologia Stoicæ Philosophiæ; Tacit. in Annal. à lib. 11. usque ad 15. Dionem lib. ultimo; Suetonium, & Xiphilinum in Nerone; Plutarchum in Othonem; Thomam-Pope Blount &c. Quare pauca hic notasse sufficiat. Scaligerana 1. *Seneca Moralis Philosophiæ primas tenet. Dignissimus, qui semel, atque iterum legatur, & fideli memorie commendetur*. Franciscus Petrarcha Epist. contra Gallum: *Et cum Tullio Senecam pono, de quo Plutarchus magnus vir, & Græcus, ultro fatetur, nullum in Græcia fuisse, qui sibi in Moralibus possit comparari*. Erasm. hæc de Seneca acutissime scripsit: *Si Christianus, scripsit Paganice; si Paganus; Christiane*. Hornius lib. 4. Hist. Philosophiæ cap. 6. Fuit Seneca vir excitati, & audacis ingenii, morum, vitiorumque publicorum & descriptor verissimus, & inseparabilis acerrimus. Dio lib. 59. *Annæus Seneca, qui omnes sui ævi Romanos, multos vero & alios sapientia anteivit*. Et Quintil. de Seneca ait: *Foret optandum, pares, aut saltem proximos illi viro fieri*. Notandum denique, tres ex veteribus Senecam ex professo culpasse, Caligulam, Quintilianum, & Agellium.

E P I C T E T U S

Philosophus Stoicus, ex Hierapoli Phrygiæ urbe, Romæ Epaphrodituſ cūdam Neronis familiari ſervivit, atque ad Marci uſque Antonini tempora peruenit. Domitiano autem imperante, ejus dominatu offensus Româ Hierapolin migravit, ratus, verum eſſe quod eſt Tragicum, Patriam eſſe cujuſque ubi quis recte ageret. Tanta vero apud omnes homines ejus vitæ admiratio extitit, ut Lucianus Sgrus lucernam ejus ſcīlem tribus drachmarum millibus, ob ejus uitoritatem, veniſſe tradat. Ex Hofmanno. Verūm Româ non ſponde migrauit, ſed Senatusconfuſto extorris fuit; ut cum aliis notat Agellius l. 15. c. 11. Neque illis ſolum temporibus nimis rudibus, nec dum Græca doctrina expolitis, Philofophi ex urbe Roma pulſi ſunt: verum etiam Domitiano imperante Senatusconfuſto ejeciti, atque Urbe, & Italia interdicti ſunt. Qua tempeſtate Epictetus quoque Philofophus propter id Senatusconfuſtum Nicopolin Româ deceſſit. Et l. 2. c. 18. ubi Philofophos, qui compluſculi ſervitutem ſervierunt, enumerat, de Epicteto hæc habet; De Epicteto autem Philofopho nobilit, quod iſ quoque ſervus fuit, recentior eſt memoria, quam ut ſcribi quaſi oblitarum debuerit. Ejus Epicteti etiam de ſe ſcripti duo verſus feruntur &c. Versus autem hi ſunt.

Δελος Επικτητος γενόμενων, καὶ σώματι τηρος,
Καὶ πενήντα τριῶν, καὶ φίλος αὐθαυδτοις.

Servus Epictetus factus ſum, corpoſe mancus,
Fortuna Irus inops; Dis ſed amicus ero.

Et quidem claudum iſum fecerat ſuus Dominus Epaphroditus, Vigilus Praefectus, qui crus ei ingenti iſtu fregerat. Ajunt tamen, Epictetum Domino, prium iſtum inſligenti, dixiſſe: *Cave, ne crus diſrumpas*. Secundum vero majorem iſtum, quo crus tandem ei diſruptum, patienter accipiens, ait: *Nonne dixi, à te crus mibi fractum iri?* Arrianus Historicus ejus diſcipulus Praeceptoris collegit ſcripta, & in quatuor *Diſſertationum libros digeſſit*; & *Enchiridion*, ſive *Manuale* componuit; quod opus ſane egregium eſt, & Stoicæ Moraliſ Philosophiæ velut anima, ut ait Lipsius. Styli genus ei conciſum, & fractum, ſed acrimonia, & ardore plenum. Abraham Berkel. in Ep. De dic. quæ Epicteti Enchir. præmittitur: *Unum hoc Enchiridion plus hominum moribus formandis valet, quam universa Aristotelis Ethica, imo & omnium post illum Philofophorum, qui Moralem Philofophiam magna verborum pompa scriptis mandarunt.*

Hinc jure optimo Divus Auguſtinus Epictetum magni aſtimabat; & Divus Carolus ſemper ejus opera præ manibus habebat; quæ non Stoici; ſed vere Christiani ſcripta videntur. Omnem autem Moralem Philoſophiam his duobus verbiſ contineri dicebat, *A'νεχει*, καὶ *A'πέχει*, hoc eſt, *Suffiſtine*, & *Abſtine*. Hominibus nequam, & impuris, Philoſophiam studioſe traſtantibus dicere ſolebat, Philofophos eſſe hujuscemodi ἀνθρώποις, μέχει τῷ δέῃ, hoc eſt *factis procul*, verborum tenus, ut ait Agell. lib. 17. cap. 19. quod totum de Epicteto habet; ubi in fine hæc addit: *Præterea idem ille Epictetus, quod ex eodem Favorino audivimus, ſolitus dicere eſt, duo eſſe vitia, multo omnium graviflma, & tērriſta Intolerantiam, & Incontinentiam; quum aut injurias, quæ ſunt ferendæ, non toleramus, neque ferimus: aut à quibus rebus, voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. Itaque, inquit, ſi quis hæc duo verba cordi habeat, eaque ſibi imperando, aut obſervando cuget; is erit pleraque impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam. Verba duo*

duo hæc dicebat; *A'νίχε, τοι Α'νίχε, Sustine, & Abstine.* De Epicteto celebriorum autorum, præter dicta, hoc est judicium. Lips. Manuduct. ad Stoic. Philos. l. i. Dissert. 19. De Seneca habet: clarum altud *Sidus se ostendit, Epictetus, ævo, non merito, posterior;* & scriptorum pondere, si non numeris, comparandus, vitæ præponendus. Ille vir totus à se, & à Deo, nihil à fortuna fuit. Origine vilius, & inter servos; corpore claudus, ac debilis, mente nobilissimus, & inter omnis ævi lumina resulfit. Vitæ emendatissimâ fuit, & plane adscitum, quod in ore habebat, *A'νίχε, τοι Α'νίχε, Contine, & Abstine.* Item hostis fucorum, qui Philosophos habitu, & verbis præferrent, vitæ degenerarent; quos ille appellare solitus Philosophos sine factis, verborum tenus. Mornæus de Verit. Relig. Christian. c. 3. Epicteti singulæ voces Proclo, Simplicio, Luciano ipsi oraculorum instar sunt. Remus ad Themist. Graviter bercle rerum magis pondere, quam mole magnus liber, & exosculandus, diurna, nocturnaque manu versandus. Vide, præter citatos autores, etiam Lucianum, Simplicium in Vita &c. Notandum denique, Epictetum, mortuo Domitiano, Romam rediisse, ibique ad Antonini imperium vixisse: qui Diis gratias agebat, quod Epicteti scripta accepisset. Adriano Imperatori carus fuit, ut notat Ælius Spartianus in Adriano, his verbis: *In summa familiaritate Epictetum, & Heliodorum Philosophos habuit.*

ARRIANUS

PHilosophus, & Historicus insignis, patria Nicomediensis, ex Bythinia, secta Stoicus, nam Epicteti discipulus fuit, cuius Ethicam in quatuor Dissertationum libros digessit, suumque confecit Enchiridion, ut modo dictum, in Epicteto. Romæ Adriani, Antonini Pii, & Marci Antonini Imperatorum temporibus vixit; ac postquam alios in Rep. Magistratus gessit; ad Supremam Consulatus dignitatem electus est. Eximii Philosophi, excellentis Historici, ac Dicis etiam Militaris fortissimi laudem apud omnes promeruit: quam ejus opera, tum quæ exstant, tum quæ intercidunt, elegantia, ac dulcedine sermonis commendata, ipsi congererunt. Sunt qui Arrianum Jureconsultum etiam faciunt doctissimum. Hoc tamen ut falsum pluribus evincunt optimi Critici. Arrianus enim Jurisconsultus alias ab hoc fuit. Traditur etiam Ceresis, & Proserpinæ Sacerdos fuisse. Opera, quæ ad nos non pervenerunt, ex Photio, & aliis, qui ea saepe citant, collecta numerantur in Act. Erudit. an. 1684. p. 122. *Parthorum libri 17.* in quibus bella à Parthis, & Romanis, duetu, & auspiciis Trajani Imperatoris gesta descripsit *Bitynicorum*, in quibus patriæ suæ Historiam pertexit. Quam Historiam à temporibus usque fabulosis inceptam, ad Regem Nicomedem perduxit; qui Romanos imperii hæredes instituisse fertur. *Alanorum Commentarii.* *Vita Tillibori Latronis.* *De rebus Dionysii, Syracusarum Tyranni.* *De Timoleontis Corinthi in Sicilia gestis liber.* *De rebus post Alexandrum gestis libri decem.* Opera vero, quæ exstant, numerantur à Vossio l. 2. de Hist. Græc. ubi hæc habet: *Arriani nibil hodie habemus præter libros quatuor de Dissertationibus Epicteti.* Item Periplum, sive lustrationem tum Ponti Euxini, tum Ponti Erythræi, quod scripsit exemplo Xenophontis, cuius totidem habemus libros de Expeditione Cyri. In his maxime secutum se ait Ptolemæum Lagi, & Aristobulum, Aristobuli filium, quorum uterque sub Alexandro militarat. Supersunt quoque Indica Arriani. At ratio plane fugit doctissimum Guili. Stuckium, cum opus hoc ait temporum injuriis intercidisse. Nam Indica nihil aliud sunt, quam quæ vulgo creditur liber octavus de Expeditione Alexandri. Quem seorsim à prioribus septem

E e 2 scri-

scriptum esse, cum ex Photio constat, tum ex fine libri septimi de Alexandro; ac vel maxime ex Indorum, sive, ut vulgo vocant, libri octavi fine. A Suida Juvenis Xenophon dictus fuit.

Autorum de Arriano præclara testimonia hæc potiora notanda duxi. Photius de 10. Arriani libris de Rebus post Alexandrum gestis: est sane scriptor hic nemini eorum, qui historiam contexuerunt, postponendus: nam & narrationum brevitate præstat, & importunis digressionibus, aut crebra parenthesi continentem historiæ tenorem minime lædit. Decori insuper observans, nova orationis compositione magis, quam vocabulis usque eo est, ut plane alio nullo modo, neque clarior, neque dilucidior fieri narratio possit. Cœl. Rhodig. l. i. Lect. Antiqu. c. 22. Arrianus in Græcos Historicos tantæ est in scribendo integritatis, ut Φιλαληθης, idest, Veritatis consecrator, studiosusque sit vulgo cognominatus, atque ita etiamnum honestetur in libris. Bodin. in Method. Histor. c. 4. p. 60. Arrianus tanto se reliquis Historicis, qui vitam Alexandri Magni scripsierant, superiorem putat, quanto reliquis Imperatoribus Alexander fuit. Certe Arrianus summo vir ingenio, summaque doctrina præditus, ut planum sit ex ejus Commentariis in Epidætum &c. Lips. Epist. Cent. 1. Miscell. Epist. 33. Scio, non altos e priscis magis consentire cum Christiana pietate, quam eos, qui e Stoica domo. In quo numero etiam Arrianus est, qui digessit Græcæ Dissertationes Epidæti, mibi valde probatas. Nicol. Blancard. in Dedicat. præfixa Arriano: Huic auctori adsunt divina sermonis lumina, puritas, perspicuitas, & cum ornatu decorum: omnia feliciter, ac veluti sine cura, & arte, licet plurimum artis emineat, representata. Nam & proprietatis Græcæ linguae retinens est &c. Lucianus in Pseudomante: Arrianus Epidæti discipulus, vir inter Romanos imprimis laudatus, ac per omnem vitam in literarum studiis versatus &c. Vide ejus vitam à Dione Cassio, qui cognomento Coccejus, conscriptam.

ANNÆUS CORNUTUS LEPTITES

Philosophus fuit genere Africanus, secta Stoicus; qui sub Claudio, & Neronе Romæ vixit; à quorum ultimo nece affectus est. De ipso sic Suidas verbo Κορνοῦτος: Hic Cornutus Leptites Philosophus fuit. Leptis autem Libycæ civitas est. Floruit Romæ sub Neronе, & ante ipsum; imperfectus vero cum Musonio. Scripsit autem multa Philosophica, & Rhetorica. Præceptor dicitur Persii Poëtæ, & Lucani item Poëtæ. Ejus laudes prolixe describit idem Persius Sat. 3. Grammaticus enim, & Poëta fertur existisse; quem saepe etiam Gellius, Eusebius, Suidas, & Macrobius, ac vitæ Persii autor memorant; Macrobius eum magnum virum, & Græcarum literarum doctissimum appellat. Fuit & alter Cornutus, quem refert Macrobius in Virgilium Commentaria scripsisse. Hunc Cornutum Annæum vocat l. 2. c. 6. Gellius & Grammaticis adnumerat; & l. 9. c. 10. eum virum doctum, & prudentem vocat. Diversus tamen hic est à Cornuto Historico, qui T. Livii contemporaneus vixit, & æmulus. Cicero etiam memorat Cornutum quendam Prætorem. Sunt qui Cornutum Historicum Cornuti, Persii præceptoris, patrem faciunt. Vide Voss. l. 1. de Hist. Lat. c. 26. Euseb. in Chron. &c.

RUBELLIO PLAUTUS

Philosophus fuit secta Stoicus, L. Veteris gener: cuius laudes Tacit. Annal. 14. 22. ita expressit: Igitur quasi jam depulso Neronе, quisnam diliget.

ligeretur, inquirebant: & omnium ore Rubellius Plautus celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Julia familia. Ipse placita majorum colebat, habitu severo, casta, secretaque domo, quantoque metu occultior, tanto plus famæ adeptus. Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Nam qui a discubentis Neronis apud Simbruina stagna, cui Sublaqueum nomen est, idæ dapes, mensaque disjecta erat, idque finibus Tiburtum acciderat, unde paterna Plauto origo; bunc illum numine deum destinari credebant, fovebantque multi, quibus nova, & ancipitia præcolere avida, & plerumque fallax ambitio est. Ergo permotus iis Nero componit ad Plautum literas, consulteret quieti Urbis, seque prave diffamantibus subtraheret. Esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta, & inturbida juventa frueretur. Itaque illuc cum conjuge Antistia, & paucis familiarium concessit. Et ibid 57. Plautus magnis epibus, ne fingere quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta præferre: assumta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque, quæ turbidos, & negotiorum appetentes faciat. Et sequentibus articulis Plauti necem, factam a Centurione cum Pelagone spadone, quem satellitum manipulo Nero præficerat, narrat, inquiens: *Plauto parari necem, non perinde occultum fuit* Gc. Vide eundem Annal. 16. 10. Interfectus autem Plautus dicitur à Cozzando octavo Nero nis anno.

P. E G N A T I V S

ET ipse Philosophus Stoicus fuit, vixitque Neronis tempore. Verum ob vitæ pravitatem honestorum hominum despicationem incurrit. Hinc Tacit. Annal. 16. 32. loquens de Sorani accusatoribus, sic ipsum amici proditorem carpit: *Mox datus testibus locus: & quantum misericordiæ sævitia accusationis permoverat, tantum iræ P. Egnatius testis concivit. Cliens hic Sorani, & tunc emtus ad opprimendum amicum, autoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, cæterum animo perfidiosus, ac subdolus, avaritiam, & libidinem occultans. Quæ postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum præcavendi, quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces.*

C. M U S O N I U S R U F U S

EQuestris ordinis, ortu τυρρηιας, πόλεως Βασινίας, ut ait Suidas, hoc est Thusci generis, ut ait Tacit. Annal. I. 14. 59. sec. 1. & 2. sub Neroni vixit, Philosophus secta Stoicus insignis, qui sapientis cognomen sæpe obtinuit. Cozzandus de Magist. Antiqu. Philos. I. 3. c. 4. ex Phot. Biblioth. c. 243. ait, Himecium hunc laudasse in Orat. funebri filii sui Rufini, ubi ipsum Nicagora graviorem, Minuciano vehementiorem, Sexto fortiorem, Plutarcho disertiorem, Musonio sapientiorem, futurum affirmat se sperasse. Verum Morery Lex. Magn. Histor. sup. contendit, Himecium non de nostro Musonio locutum fuisse, sed de Musonio, Proëresii discipulo, & Rhetoricam Athenis primum professo, deinde Asiæ Vicario, sive Locumtenente electo, ad quem extat Libanii epistola 453. qui Musonius sec. 4. sub Valentis imperio floruit, atque Achajæ etiam Præfectus fuit.

Hagna quidem, fateor, confusio est inter autores de Musonio scribentes. Morery enim in Lex. Magn. Histor. Musonios duos agnoscere videtur dum ait: *Musonius eques Romanus, & Philosophus secta Stoicus, quem Nero urbe extor-*

extorrem fecit. Deinde articulo sequenti subdit: *Musonius Philosophus insignis 1. & 2. sec. familiaris fuit Apollonii Tyanæ, quorum reciprocæ alterius ad alterum extant literæ.* Atque pro utroque eosdem citat autores Plinium, Philostratum, Suidam, & Tacitum. In supplemento tamen primò Musonium refert Rhetorices professorem, Asiac Vicarium, quem eundem cum Proconsule Achajæ facit, ut modo dictum: deinde Musonium memorat Philosophum Stoicum ex ordine Equestris in Hetruria natum, à Nerone ad Gyaron insulam exilio damnatum ob nimiam flagitiosum Principem arguendi libertatem; & ab eodem exilio à Vespasiano, ut vult Morery in supplemento, sive à Tito, Vespasiani filio, avocatum anno Chr. 83. ut Eusebius in Chron. testatur. His tertium addit Musonium Philosophum Christianum, qui Romæ Juliani Imperatoris tempore vixit.

Suidas unum tantum memorat Musonium, Stoicum egregium, Tusci generis (nam Musonium, quem sub Joviano vixisse refert, nunquam Philosophum fuisse scribit) sub Nerone florentem, & ab eodem exilio multatum, Apollonio Tyanœ, aliisque carum; cuius ad Apollonium, & Apollonii ad ipsum epistolas extare, & de Philosophia scripsisse, affirmat.

Tacitus unius semper meminit in Annal. & in Histor. quem Musonium Rufum jugiter appellat. Expressius autem lib. 3. Hist. 81. his verbis. *Miscuerat se legatis Musonius Rufus Equestris ordinis, studium Philosophiae, & placita Stoicorum emulatus &c.*

Tandem Cozzandus l. c. iis, quæ modo adduximus, subdit: *Patria Babylonum in Anthropol. agnoscit R. Volaterranus l. 17. nec dubium, quin à Philostrato hauserit in vita Apollonii Tyanæ l. 4. c. 12., qui ejus familiarem fuisse ait, ac literas ultro, citroque missas ejusdem libri c. 15. habet. Cornelius Tacitus l. 14. Annal. Tusci generis Musonium fuisse scribit, ejusque non semel meminit l. 14. & 15. Annal. libro 3. & 4. Histor. Nero, quod Philosophiam oderit, in carcerem trudit, ut Philostratus scribit l. c. cum Annæ Cornuto Leptite imperfectum scriptum reliquit Suidas.* At non morte Eusebius, sed exilio scribit ambos multatos. Et quidem à Tito Imper. Musonium ab exilio revocatum anno salutis 83. idem Eusebius notat. Musonii dicta, & familia Afinius Pollio Trallianus collegit. . . . Musonii saepe meminit A. Gell. apud quem l. 16. c. 1. celebris ejus sententia extat: *Si per laborem honesti quidpiam egeris, laborabit, honestum manet; si per voluptatem turpe feceris quidpiam, quod suave est, abit, quod turpe est, manet.* Hoc autem morale præceptum vere ἀνθρωπιδίον, hoc est, quod animo recolatur, multis ante annis à Catone Numantiæ ad equites dictum, idem Gellius memorat ibidem. Atqui alteram habet l. 9. c. 2. Musonii sententiam ab Herode Attico relatam de iis, qui falso cultu, amictuque nomen, habitumque Philosophi mentiuntur: *Musonius æruscanti cuiusdam id genus, & Philosophum se se ostentanti, dari jussit mille nummum.* Et, quum plerique dicerent, nebulonem esse hominem, malum, & maliciosum, & nulla re bona dignum; tum Musonium subridentem dixisse ajunt: *Dignus ergo est argento.* Sed hoc potius dolori mibi, & ægritudini est, quod istiusmodi animalia spurca, atque probra, nomen usurpant sanctissimum, & Philosophi appellantur &c. Vide etiam de Musonii sententiis Agellium l. 5. c. 1.

M. ANTONINUS PHILOSOPHUS.

Marcus Antoninus in omni vita philosophanti viro, & qui sanctitate vita omnibus principibus antecellit, pater Annus Verus, qui in praetura de-